AUTHOR:

FUNKHANEL, KARL HERMANN

TITLE:

QVAESTIONES DEMOSTHENICAE

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

1831

Master Negative #

93-81547-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88DS
IE34

Funkhänel, Karl Hermann
Qvaestiones Demosthenicae scripsit Carolvs Herm. Fvnkhaenel ... Lipsiae, apud Weidmannos, 1831.
xvi,96 p. 22 cm.

Bound with Demosthenes. Δημοσθένους Ὀλυνθιακοί ... 1834.

120300

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm
REDUCTION RATIO: 10X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 10/19/93
INITIALS BAP
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

Master Negative #

93-81547-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET


Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Funkhänel, Karl Hermann ed.
Demosthenes. (Olynthiacae 1834)
Δημοσθένους Ὀλυνθιακοί. 1834.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 10X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 10/19/93 INITIALS BAP
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202













MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

QVAESTIONES

DEMOSTHENICAE.

SCRIPSIT

CAROLVS HERM. FVNKHÄENEL,

PHILOS. DOCTOR.

LIPSIAE

APVD WEIDMANNOS.

1831.

Τὰ μὲν διδακτὰ μανθάνω, τὰ δ' εὑρετὰ
Ζητῶ, τὰ δ' εὐκτὰ παρὰ θεῶν ᾐτησάμην

TRIVMVIRIS ILLVSTRIBVS

CHRIST. DANIELI BECKIO

GODOFREDO HERMANNO

PRAECEPTORIBVS SVMME VENERANDIS

IOH. AVGVSTO HENRICO TITTMANNO

FAVTORI OPTIMO

HVNC LIBELLVM

PRO SVMMAE PIETATIS DOCVMENTO ESSE VOLVIT

AVCTOR.

LECTORI.

Omnes omnium aetatum homines doctos, qui sensu quodam pulchri impellerentur, mirifice Demosthenis orationibus esse delectatos, ita ut etiam qui aetate proximi fuerunt oratori clarissimo quique saepe valentissimos eius lacertos experti sunt, Philippus et Aeschines, admirandam in dicendo vim Demosthenem habuisse profiterentur, id si me, ut has observationes criticas scriberem, adduxisse contenderem, riderent omnes aut certe non crederent. Multi enim e scriptoribus antiquis maximam percipiunt voluptatem, sed non eo progrediuntur, ut prehenso calamo prae nimia voluptate scripsisse se asseverent. Sed, ut fit, si semel adieris graecos scriptores, ita retinetur animus, ut vix avellaris aegreque ab eorum lectione discedas. Quod cum mihi in Demosthene accidisset, cumque quia totum me litteris antiquis dare decreveram, aliquanto diligentius in eo perlegendo versarer, necessario factum est, ut quid interpretes et editores eius operibus profuissent, spectandum mihi esset atque examinandum. Feci hoc, sat multos in iudicium vocavi locos, interdum sequendos esse vidi editores, non raro refutandos aut certe non omni ex parte probandos. Optimum ducem ea in re nactus sum Hermannum, cuius tantam in me semper cognovi benevolentiam, ut, quod toto persentisco animo, laetissima vitae meae sors exiret, cum interiore eius consuetudine frui mihi contigisset: ita quod quasi divina mente Voigtlaenderus meus praedixit aliquando ad patris instar Hermannum rebus meis esse prospecturum, revera evenit.

Hermannus igitur alia, quae recte vidissem, probavit, emendavit alia, atque ita nonnullis omissis, quibusdam ad-

iectis libellus iste, quem de Demosthene conscripsi, originem cepit.

Ea in re autem quanta Bekkero deberemus, saepe sum expertus; sed tanta sunt eius merita de scriptoribus antiquis, tam sunt nota et praedicata iam a multis, meas laudes ut iure possim retinere. Id autem agendum plerumque esse duxi, ut quod vir egregius ex optimis codicibus, interque hos inprimis e codice Σ edidisset, firmare studerem et quam vere scriptum esset, demonstrarem. Multis in locis id iam Schaeferus fecerat, sed velles paullo accuratius scriptorem, quem edendum curavit, perlegisset antea. Omnino hoc in reliquis etiam editoribus desidero, quod priusquam ad ipsam se accingerent editionem, accuratam totius Demosthenis cognitionem consequi obliti sunt. Quod ne iniquius statuisse videar, in ipso libello meo quaerantur argumenta. Sed prorsus non nego, imo lubentissime concedo et assevero, Ruedigerum, Bremium et Voemelium, quibus accedant Rauchenstein. et Engelhardt., non paucis in locis ita esse versatos, ut quod desideres non habeas. Voemel. inprimis res historicas, quarum mentio fit in Demosthene, ita aperuit et illustravit, ut maximam ei gratiam debeamus; minus prospere ei res cessit, ubi linguae usus et indoles explanarentur opus esset. Locupletiorem linguae notitiam nactus est Ruedigerus, quod ostendit in editione altera orationum philippicarum, postquam nonnulla, quae in priori editione satis mira protulerat, a Schaefero non leniter notatus, omisit. Commentarius historicus, quem editioni adiecit, librum eius usui discipulorum reddit aptissimum.

Mihi autem non id propositum erat, ut totum Demosthenem critica manu pertractarem et inter criticos, qui vocantur, locum obtinerem — hoc et voluntas vetuit et virium tenuitas —, sed satis habebam, si quid conferrem ad sermonem Demosthenis accuratius enucleandum, definiendum, firmandum. Intellexeram enim non tam coniectando aliquid profici posse in hoc scriptore, quam coniecturis aliorum refutandis et vulgata lectione aut omnino librorum scriptura explicanda et tuenda. Interpretis munus agendum esse putavi; quod si satis vulgare nonnullis videatur, hominum iudicia diversa esse memento. Vere enim Euripides monet:

— — ἴση γὰρ ἡ χάρις
μεγάλοισι χαίρειν σμικρά θ᾽ ἡδέως ἔχειν.

Sed aliam etiam causam me habuisse, cur has observationes scriberem, libere profiteor. Postquam enim per aliquot annos Demosthenis orationes in dies manu versaveram, rerum historicarum, antiquitatum aliorumque scriptorum studio ita teneri me passus sum, ut Demosthenem certe seponerem. Nunc cum redire licuisset ad eum scriptorem, quo semper maxime sum delectatus, quae conscripseram de oratore, denuo pertractanda, colligenda et ordinanda esse putavi, ut hoc specimine publice a me proposito ex viris doctis, peritis eius rei iudicibus, cognoscerem, num quid lectioni huius scriptoris deberem, num perspectum haberem eius ingenium et forte aliquando, si diutius et diligentius etiam in his scriptis legendis versatus essem, dignus censerer, qui ad aliquot eius orationes edendas vires accingerem. Sed satis esto de hac re.

Denique nonnullos locos deinceps afferam, quos aut addendos aut ut faciliores huc referendos aut quod non mea essent quae de iis referrem, in hac praefatione tractandos esse duxi. Concessit enim Hermannus, ut quas mecum communicavit coniecturas de nonnullis ex Demosthene locis aut explicationes, publice ederem. Loci igitur sunt hice:

Olynth. I. p. 11, 2. §. 7. νυνὶ γάρ, ὃ πάντες ἐθρυλεῖτε — γέγονεν αὐτόματον, καὶ ταῦθ᾽ ὡς ἂν ὑμῖν μάλιστα συμφέροι. Schaefero placet, quod nonnulli libri habent τοῦθ᾽ ut paulo significantius. Sed usus videtur alteram scripturam confirmare. V. or. de Rhodior. libert. §. 23. p. 197, 12. βάρβαρον ἄνθρωπον καὶ ταῦτα γυναῖκα. Frequenti enim usu propria huius formulae vis obscurata est.

Eiusd. or. p. 11, 12. §. 8. Bekkerus ex omnibus libris edidit: κελεύοντες ἡμᾶς πλεῖν. Ruedigerus e paucissimis recepit ἐκπλεῖν „ut saepius in simili locutione adhibitum.“ At cf. or. de Cor. §. 115. p. 265, 12., contra Mid. §. 174. p. 570, 25., adv. Timocr. §. 92. p. 729, 23.

Olynth. II. §. 30. p. 26, 29. ὥςπερ ἐκ τυραννίδος

ὑμῶν Schaeferus plane improbat, dubitanter tuiti sunt reliqui interpretes. Confer or. de Cor. §. 66. p. 246. fin. qui locus priorem tueretur, si omnino dubitari posset.

Olynth. III. §. 8. p. 30, 26. φόβον — τὸν τῶν μετὰ ταῦτα. Uncis inclusit articulum τῶν Bekkerus, secutus est Bremius, Ruedigerus plane eiecit. Voemel. aegre servandum eum ita censet: ἐκ τῶν μετὰ ταῦτα. At conf. or. de contribut. §. 20. p. 171. extrem. τὸ ἴσον — τῶν ἐκ τούτων ἕξειν. Or. de Cor. §. 40. p. 239, 17. — μηδ' ὁτιοῦν προορᾶν τῶν μετὰ ταῦτα. — In duplici autem articulo neminem puto offendere.

Phil. I. p. 47, 9. §. 26. Οὐκ ἐχειροτονεῖτε δὲ ἐξ ὑμῶν αὐτῶν δέκα ταξιάρχους etc. Bremius plane nihil de hoc loco monet, Voemel. imperf. explicat: creare soletis. Ruedigerus etiam imperf. positum censet ut in re, quae adhuc duret. Affert quae sequuntur „οὐ γὰρ ἐχρῆν“ res miscens longe diversas. Imperf. ferri nequit. Nam si explicas „solebatisne creare duces etc.?“ haec quaestio est eius, qui scit in tali rerum statu olim duces esse creatos, nunc autem num creati sint aut nescit aut nullos esse creatos miratur. At in seqq. quaerit, quid isti duces agant. Et quomodo omnino Demosthenes, Atheniensis, ita interrogare potuit? Denique illam interrogationem sequi debebat tale quid: οὐχὶ καὶ νῦν κεχειροτονήκατε; At sequuntur verba: Τί οὖν οὗτοι ποιοῦσιν;

Quae cum ita sint, unice probanda est Schaeferi emendatio: Καὶ χειροτονεῖτε δὲ — δύο. Plene enim tum interpungendum.

Eiusd. orat. §. 34. fin. p. 50, 2. ὑμεῖς δ' οὔτε ταῦτα ἠδύνασθε κωλύειν οὔτ' εἰς τοὺς χρόνους οὓς ἂν προθῆσθε βοηθεῖν. Offendit Schaeferum coniunctivus προθῆσθε in re praeterita positus. Sed vide quae ad Dem. p. 351, 24. infra monebo. Notanda autem est codicum optimorum scriptura δύνασθε, ut totus locus, quanquam res praeterita narratur, ad praesens tempus referatur.

Eiusd. or. §. 37. p. 50, 23. εἶτ' ἐν ὅσῳ ταῦτα μέλλετε, προαπόλωλεν ἐφ' ἃ ἂν ἐκπλέωμεν. Codex Σ tam exquisitam praebet scripturam τὸ ἐφ' ὃ ἂν — ut optimo

iure recipiatur. Vide de hoc usu articuli Matth. Gr. gr. §. 273. p. 558.

Ibid. §. 43. p. 52, 22. vide ne praestet cum codd. ΣF et cum Bavarico scribi: εἰ μή τις κωλύσῃ. Nam particulae conditionalis videtur hoc loco singularis esse vis.

Or. de pace §. 8. p. 59. init. sine dubio cum Schaefero scribendum est: ἐπειδὴ δέ —. Ruedigerus et Voemel. in asyndeto plane non offendunt.

Phil. II. §. 32. p. 73, 21. — οὐδ' ἵνα τὴν ἄλλως ἀδολεσχῶ. Bavaric., August. II, codd. FΣ habent ὡς ἄλλως. Recte hoc dici equidem puto, sed desidero exempla. Fortasse alii ea suppeditabunt.

Orat. de Halon. §. 9. p. 78, 28. Ταῦτα δὲ (τὰ σύμβολα) κύρια ἔσεσθαι οὐκ ἐπειδὰν ἐν τῷ δικαστηρίῳ τῷ παρ' ὑμῖν κυρωθῇ —, ἀλλ' ἐπειδὰν ὡς ἑαυτὸν (Φίλιππον) ἐπανενεχθῇ. Weiskius recipiendum putat, quod pauci libri habent, ἐπαναχθῇ, cum de provocatione sermo sit. Affert ex Aristot. polit. I. 4. ἀλλ' ἐπαναγέσθω πάλιν ἐπὶ τοὺς ἄρχοντας. At videntur haec de ἀναδίκῳ κρίσει seu παλινδικίᾳ (v. Plut. Dem. VI.) intelligenda esse. Neque omnino orator in illa oratione de provocatione loquitur, sed de κυρώσει τῶν συμβόλων. Nam Philippus postulavit, ut illa foedera tum demum rata haberentur, si ad ipsum relata essent, unde appareret, apud ipsum summum esse iudicium. Ἐπαναφέρειν igitur propriam retinet vim referendi. Apud Demosthenem neque ἐπαναφέρειν neque ἐπανάγειν de provocatione usurpatur. Omnino si accurate verba considerasset Weiskius, non cogitasset de provocatione. Vide modo: τὰ σύμβολα κύρια ἔσεσθαι, οὐκ ἐπειδὰν ἐν τῷ δικαστηρίῳ — κυρωθῇ, ἀλλ' ἐπειδὰν ὡς ἑαυτὸν ἐπανενεχθῇ sc. τὰ σύμβολα.

Orat. de Chers. §. 54. p. 103, 10. insolens videtur illud φυλακὴν εἰπεῖν. Hier. Wolf. εὑρεῖν scripsit, Reiskius dubius haeret, utrum hoc, quod pag. 146, 13. ubi eadem redeunt verba, legitur, an ἀνειπεῖν scribendum sit. Schaeferus tantum haec notat „εὑρεῖν Auger.“ Item Bremius tacet. Sed vide Dem. or. contra Aristocr. §. 85. p. 648, 27. μη-

δεμίαν κρίσιν εἰπεῖν quod nos „anordnen, erneinen" exprimimus. Comparari possit etiam Pindar. Olymp. VII, 33.

Phil. IV. §. 40. p. 141, 27. *ὥςτε — οὐ φάσκοντα* et locos Demosthenis huc pertinentes Olynth. III. §. 1. p. 28, 7. adv. Steph. §. 83. p. 1126, 24. or. amator. §. 3. p. 1402, 11. nunc ita explicuit Klotz. quaest. crit. init., ut dubitari plane nequeat. Cf. Bernh. Synt. Gr. p. 471. Baiter. in Brem. edit. Isocr. I. p. 44 sq.

Or. de foedere cum Alex. §. 3. p. 212, 15. qui locus maximas interpretibus facessivit molestias, sine dubio quod variae scripturae codicum Reiskii et Bekkeri aperte produnt, manum expertus est emendatricem. Hoc movit Hermannum, ut verba *εἴ τις ἀναγκάζοι* delenda esse putaret tanquam orta ex explicatione sequentium *καί τις ἐβιάζετο*.

Or. de Cor. §. 54. p. 243, 12. *ἀπήνεγκε πρὸς τὸν ἄρχοντα παρανόμων γραφήν*. Sine cunctatione delendum cum optimis codicibus *γραφήν*. Vide §. 105. pag. 261, 17. ubi iterum duo codd. *γραφήν* addunt. Cfr. Reiskii index s. v. *λαγχάνειν*. Petit. legg. Attic. p. 245. Zeun. ad Vig. p. 272. — Repleta sunt psephismata aliaque publice scripta monumenta, quae in hac oratione reperimus, glossematis. Duo alia §. 37. p. 238, 2. et §. 73. p. 249, 2. ubi *γενομένης* et *συναχθείσης* delenda, etiam Spengel. in Museo Rhen. (Ser. II. fasc. III. p. 390.), Dindorf. in edit. et Rud. Rauchenstein. observatt. in Dem. or. de Cor. (Turici 1829.) p. 16. explicuerunt.

Ibid. §. 74. p. 250, 2. *καὶ τοῦτο γράψαι λέγειν*. Cum longe plurimi codd. *γράψαι*, Bavaricus et quatuor optimi Bekk. *τοῦτο*, Aug. II. et IV. omnia illa verba omittant, Hermanno et *γράψαι* et *λέγειν* omittendum videtur. Sic tantum restant *καὶ τοῦτο*, quae cum librarii quo essent referenda nescirent, omiserunt sine iure. Summa enim brevitas in his publicis tabulis ibi locum tenet, ubi iubendi, sciscendi etc. formulae positae sunt, quo fit, ut *κατὰ τὸ νοούμενον* orationem explices opus sit. Itaque quod §. 74. init., p. 249. 21. legimus *διαλέξονται*, ita huc refer, ut simile verbum, quale *ἀπαγγέλλειν*, ex eo intelligas.

Eiusd. or. §. 157. p. 280, 15. Hermanno scribendum videtur: *τοῖς δὲ μὴ συναντήσασι πανδημεὶ χρησόμεθα τοῖς συμβόλοις ἡμῖν κειμένοις ἐπιζημίοις* i. e. adversus eos utemur poenis per foedus statutis. Idem voluit Rauchenstein. (l. l. p. 33.) coniiciens: — *τοῖς διὰ συμβουλῆς* aut *συμβουλίας ἡμῖν κειμένοις ἐπιζημίοις*.

Or. de male gest. leg. §. 165. p. 393, 4. *ἔστιν οὖν ὅπως ἂν μᾶλλον ἄνθρωποι πάνθ' ὑπὲρ Φιλίππου πράττοντες ἐξελεγχθεῖεν ἢ τὴν αὐτὴν ὁδὸν — καθήμενοι, — ἐπειγόμενοι;* Schaefer. ad h. locum dicit: „*τὴν αὐτὴν ὁδὸν — καθήμενοι* notabilis locutio." Quid hoc est? Accus. per se positus est tempus significans, per quod quid durat. (V. Schaefer. ipsum ad Dem. p. 396, 23.) *καθῆσθαι* autem verbo *ἐπείγεσθαι* ita oppositum esse patet, ut tardissimum iter significetur.

Or. in Mid. §. 35. p. 525, 22. *ὁ τοιοῦτος πότερα μὴ δῷ διὰ τοῦτο δίκην ἢ μείζω δοίη δικαίως;* Postquam Spalding., Bekker. et Buttm. *ἂν δοίη* aut utroque loco *δῷ*, Schaeferus *ἢ κἂν μείζω δοίη* scribendum censuerant, Hermannus dissert. de part. *ἂν* II. 4. p. 91. ed. Lips. locum tuitus est. Ego ne quomodo optativus explicandus esset, ignorasse videar, breviter nunc quae illo tempore, cum hunc locum in censum vocabam, scripsi, afferre concessum sit: „Egregie falluntur interpretes optativum *δοίη* certatim damnantes. Vide Theocr. XXVII, 24.

καὶ τί φίλος ῥέξαιμι; γάμοι πλήθουσιν ἀνίας.

i. e. Quod censes esse mihi agendum? Nam optativus id, quod in cogitatione positum est, utique significat. Ita Demosthenis locus ita explicandus est: An opinamini maiore etiam eum dignum esse poena? Nos: Soll dieser nicht gestraft werden, oder möchte er grössere Strafe verdienen? v. Herm. ad Soph. Phil. 883. ad Vig. 905."

Eiusd. §. 58. p. 533, 5. — *ἐὰν — τινῶν — ὀνομαστὶ μνησθῶ*. Omnium librorum scripturam *ὀνόματι* Reisk. primus mutavit: secuti sunt Bekker. et Schaefer. Idem scripserunt isti editores in or. adv. Euerg. et Mnesibul. §. 69. p. 1160, 20., ubi omnes libri praebent *ὀνόματι — προαγορεύειν*. At apud Aeschin. in Tim. §. 24. retinuit Bekker. *ὀνό-*

δεμίαν κρίσιν εἰπεῖν quod nos „anordnen, ernennen" exprimimus. Comparari possit etiam Pindar. Olymp. VII, 33.

Phil. IV. §. 40. p. 141, 27. *ὥςτε — οὐ φάσκοντα* et locos Demosthenis huc pertinentes Olynth. III. §. 1. p. 28, 7. adv. Steph. §. 83. p. 1126, 24. or. amator. §. 3. p. 1402, 11. nunc ita explicuit Klotz. quaest. crit. init., ut dubitari plane nequeat. Cf. Bernh. Synt. Gr. p. 471. Baiter. in Brem. edit. Isocr. I. p. 44 sq.

Or. de foedere cum Alex. §. 3. p. 212, 15. qui locus maximas interpretibus facessivit molestias, sine dubio quod variae scripturae codicum Reiskii et Bekkeri aperte produnt, manum expertus est emendatricem. Hoc movit Hermannum, ut verba *εἴ τις ἀναγκάζοι* delenda esse putaret tanquam orta ex explicatione sequentium *καί τις ἐβιάζετο*.

Or. de Cor. §. 54. p. 243, 12. *ἀπήνεγκε πρὸς τὸν ἄρχοντα παρανόμων γραφήν*. Sine cunctatione delendum cum optimis codicibus *γραφήν*. Vide §. 105. pag. 261, 17. ubi iterum duo codd. *γραφήν* addunt. Cfr. Reiskii index s. v. *λαγχάνειν*. Petit. legg. Attic. p. 245. Zeun. ad Vig. p. 272. — Repleta sunt psephismata aliaque publice scripta monumenta, quae in hac oratione reperimus, glossematis. Duo alia §. 37. p. 238, 2. et §. 73. p. 249, 2. ubi *γενομένης* et *συναχθείσης* delenda, etiam Spengel. in Museo Rhen. (Ser. II. fasc. III. p. 390.), Dindorf. in edit. et Rud. Rauchenstein. observatt. in Dem. or. de Cor. (Turici 1829.) p. 16. explicuerunt.

Ibid. §. 74. p. 250, 2. *καὶ τοῦτο γράψαι λέγειν*. Cum longe plurimi codd. *γράψαι*, Bavaricus et quatuor optimi Bekk. *τοῦτο*, Aug. II. et IV. omnia illa verba omittant, Hermanno et *γράψαι* et *λέγειν* omittendum videtur. Sic tantum restant *καὶ τοῦτο*, quae cum librarii quo essent referenda nescirent, omiserunt sine iure. Summa enim brevitas in his publicis tabulis ibi locum tenet, ubi iubendi, sciscendi etc. formulae positae sunt, quo fit, ut *κατὰ τὸ νοούμενον* orationem explices opus sit. Itaque quod §. 74. init., p. 249. 21. legimus *διαλέξονται*, ita huc refer, ut simile verbum, quale *ἀπαγγέλλειν*, ex eo intelligas.

Eiusd. or. §. 157. p. 280, 15. Hermanno scribendum videtur: *τοῖς δὲ μὴ συναντήσασι πανδημεὶ χρησόμεθα τοῖς συμβόλοις ἡμῖν κειμένοις ἐπιζημίοις* i. e. adversus eos utemur poenis per foedus statutis. Idem voluit Rauchenstein. (l. l. p. 33.) coniiciens: — *τοῖς διὰ συμβουλῆς* aut *συμβουλίας ἡμῖν κειμένοις ἐπιζημίοις*.

Or. de male gest. leg. §. 165. p. 393, 4. *ἔστιν οὖν ὅπως ἂν μᾶλλον ἄνθρωποι πάνθ' ὑπὲρ Φιλίππου πράττοντες ἐξελεγχθεῖεν ἢ τὴν αὐτὴν ὁδὸν — καθήμενοι, — ἐπειγόμενοι;* Schaefer. ad h. locum dicit: „*τὴν αὐτὴν ὁδὸν — καθήμενοι* notabilis locutio." Quid hoc est? Accus. per se positus est tempus significans, per quod quid durat. (V. Schaefer. ipsum ad Dem. p. 396, 23.) *καθῆσθαι* autem verbo *ἐπείγεσθαι* ita oppositum esse patet, ut tardissimum iter significetur.

Or. in Mid. §. 35. p. 525, 22. *ὁ τοιοῦτος πότερα μὴ δῷ διὰ τοῦτο δίκην ἢ μείζω δοίη δικαίως;* Postquam Spalding., Bekker. et Buttm. *ἂν δοίη* aut utroque loco *δῷ*, Schaeferus *ἢ κἂν μείζω δοίη* scribendum censuerant, Hermannus dissert. de part. *ἂν* II. 4. p. 91. ed. Lips. locum tuitus est. Ego ne quomodo optativus explicandus esset, ignorasse videar, breviter nunc quae illo tempore, cum hunc locum in censum vocabam, scripsi, afferre concessum sit: „Egregie falluntur interpretes optativum *δοίη* certatim damnantes. Vide Theocr. XXVII, 24.

καὶ τί φίλος ῥέξαιμι; γάμοι πλήθουσιν ἀνίας.

i. e. Quod censes esse mihi agendum? Nam optativus id, quod in cogitatione positum est, utique significat. Ita Demosthenis locus ita explicandus est: 'An opinamini maiore etiam eum dignum esse poena? Nos: Soll dieser nicht gestraft werden, oder möchte er grössere Strafe verdienen? v. Herm. ad Soph. Phil. 883. ad Vig. 905."

Eiusd. §. 58. p. 533, 5. — *ἐὰν — τινῶν — ὀνομαστὶ μνησθῶ*. Omnium librorum scripturam *ὀνόματι* Reisk. primus mutavit: secuti sunt Bekker. et Schaefer. Idem scripserunt isti editores in or. adv. Euerg. et Mnesibul. §. 69. p. 1160, 20., ubi omnes libri praebent *ὀνόματι — προαγορεύειν*. At apud Aeschin. in Tim. §. 24. retinuit Bekker. *ὀνό-*

ματι — προςειπεῖν. Quanquam autem scio quod in or. adv. Neaer. §. 19. p. 1351, 10. dicitur *προςειποῦσα δ' αὐτὰς ὀνόματι θυγατέρας* aliam habere vim, tamen illud quoque recte dici puto, ut apud nos „mit Nennung des Namens vel mit Namen eines gedenken, mit Nennung des Namens einem etwas verbieten."

Ibid. §. 179. p. 572, 21. *πολλὰ γὰρ πρὸ τοῦ μὴ τὸ σῶμα ἕκαστον ὑβρίζεσθαι πεποιήκασιν οἱ νόμοι.* Recte Buttmann. et Dindorf. optimorum librorum *πρὸ τοῦ* scripturam pro vulgata *πρὸς τὸ* — recepisse Schaeferus iam monuit. Deinde quod Wolf. et Reisk. *εἰς τὸ σῶμα ἕκαστον* aut certe *τὸ σῶμα ἑκάστου* vel *ἑκάστων* legi voluerunt, iam Taylor. non opus esse intellexit. Quanquam enim in eiusd. or. §. 25. p. 523, 1. *εἰς τὸ σῶμα ὑβρίσθαι* et §. 75. p. 739, 5. *τῷ τὸ σῶμα ὑβρισμένῳ* legitur, tamen §. 18. p. 520. fin. *ἐμοῦ μὲν ὕβρισε τὸ σῶμα* et §. 106. p. 549, 7. adeo dicitur *τοῖς Διονυσίοις τὴν παρασκευὴν καὶ τὸ σῶμα καὶ τἀναλώμαθ' ὑβρίζειν.* Quare de hac dictione minime dubitandum neque eo confugiendum est, ut in primo illo loco, p. 572, 21. *ἕκαστον* masculini generis esse statuas.

Orat. contra Androt. §. 35. p. 604, 8. *ἔστι γὰρ εἷς αὐτῷ τοιοῦτος (λόγος), μὴ πεντακοσίους ὑμῶν αὐτῶν ἀφελέσθαι τὴν δωρεὰν μηδὲ ὀνείδει περιβαλεῖν· ἐκείνων ὁ ἀγὼν, οὐκ ἐμός.* Aug. I. et codd. *Κυ* habent *ἀφέλησθε,* sed non *περιβάλητε,* utrumque Σ in *γρ.*, codex Bavaricus et
η ε ητε
Fr ἀφελεσθαι et *περιβαλεῖν.* Hinc Schaeferus *μὴ — ἀφέλησθε* et *περιβάλητε* recipiendum esse censet. „Sic omnia, inquit, haec „*μὴ πεντακοσίους — οὐκ ἐμός,*" non tantum ultima quinque Androtio loqui fingitur. Quae ratio paulo laevior quam vulgata: nam infinitivos hic vice fungi imperativorum mihi parum probabile fit." At id mihi nervos oratoris secare videtur. Nam Schaeferum secutus orationem vi quadam privaveris. Neque infinitivi vice imperativorum funguntur. Nam cum *εἰπεῖν, λέγειν, φράζειν,* atque etiam *ἀποκρίνεσθαι* (v. orat. I. adv. Steph. §. 61. p. 1120, 8.) sexcenties vim iubendi contineant, eodem iure *λόγος* hic ita

dici posse quis negat? Deinde quod subito orator ad orat. rectam transit, quis hodie id improbat? V. similem locum apud Xenoph. Cyri discipl. I. 4. fin. *Ἐνταῦθα δὴ τὸν Κῦρον γελάσαι τε ἐκ τῶν πρόσθεν δακρύων καὶ* *ε ἰ π ε ῖ ν* *αὐτῷ ἀπιόντα* *θ α ῤ ῥ ε ῖ ν,* *ὅτι παρέσται αὐτοῖς ὀλίγου χρόνου· ὥςτε ὁρᾶν* *σ ο ι ἐ ξ έ σ τ α ι* *κἂν βούλῃ ἀσκαρδαμυκτεί.*

Orat. contra Timocr. §. 28. p. 708, 29. *Ἐνθυμήθητ' ἀναγιγνωσκομένου τοῦ ψηφίσματος ὡς τεχνικῶς ὁ γράφων αὐτὸ τὴν διοίκησιν καὶ τὸ τῆς ἑορτῆς προστησάμενος κατεπεῖγον — αὐτὸς ἔγραψεν αὔριον νομοθετεῖν.* Hier. Wolfius et Reisk. *ἐνεθυμήθητ'* scribendum esse dixerunt. Quomodo enim, inquiunt, iudicibus potest adtentio imperari ad legem non recitandam, sed iam recitatam? Sequitur hos duumviros Schaeferus. Mihi olim vulgata sic defendi posse visa est: *ἐνθυμήθητ' ὡς ἀναγιγν. τοῦ ψηφ. ὁ γράφων αὐτὸ — ἔγραψεν αὔριον νομοθετεῖν,* cogitate, cum decretum recitaretur, auctorem eius iussisse —. Breviter enim oratorem locutum id sibi velle putavi: cogitate, cum decretum illud a scriba recitaretur, in eo fuisse scriptum, auctorem eius suadere, ut —. Sed ipse concedo artificiosam esse hanc explicationem. Quare facillimam illam emendationem recipere praestabit, quanquam Bekkerus librorum scripturam retinuit.

Orat. adv. Aristogiton. I. §. 53. p. 786, 20. — *ἀλλὰ καὶ μειζόνων ἀξιώσαντες δωρεῶν ἀφήσετε ὡς τοὺς εὐεργέτας.* Cum particula *ὡς* ita usurpari non posse videretur, Reiskius *ἢ ὅσων περ τοὺς εὐεργέτας,* Schaeferus *ὧν* s. *ὧνπερ τ. εὐεργ.* emendavit. Mihi vulgata defendi posse visa est loco Aeschyl. Prometh. 630. *μή μου προκήδου μᾶσσον ὡς ἐμοὶ γλυκὺ.* Nos eodem modo in comparationibus particula „wie" utimur. Retinet autem *ὡς* vim comparativam (nos: in Vergleich), ut Aeschyli locum commode possis reddere: „Nicht ängst'ge länger dich um mich, wie lieb mir ist'" quo significatur hoc: iam nimis diu, si meam voluntatem comparaveris, mihi metuis. — Sed hic Aeschyli locus Hermanno incertus visus est, Demosthenis autem ita explicandus, ut *ἀφιέναι ὡς τοὺς εὐεργέτας* iungantur hac vi: referre inter eos, qui beneficia in civitatem contulerunt.

Orat. adv. Aphob. I. p. 816, 20. §. 10. *καὶ ξύλα κλίνεια εἰς ὀγδοήκοντα μνῶν ἄξια.* Plane probandum videtur, quod Schaeferus ad tuendum *εἰς* contendit, Graecorum sermonem *εἰς* in huiusmodi locutionibus usurpasse *ἐπιῤῥηματικῶς*. Compara Lobeck. ad Phryn. p. 410. et quae Hermannus de part. *ἄν* affert p. 5. edit. Lips.

Eiusd. orat. §. 12. fin. p. 817, 18. *τοῦθ' ὑμῖν ἐπιδείξω, μετὰ δὲ ταῦτα καὶ περὶ τῶν ἄλλων.* Mire se torquet Reiskius in explicando hoc loco: sed ne Schaeferus quidem verum vidit. Uterque enim *ἐπιδεικνύναι περί τινος* dici posse negavit. Quanquam enim multa verba apud Demosthenem, ut *εἰδέναι, μανθάνειν, διδάσκειν, μνᾶσθαι, ἀπαγγέλλειν, δηλοῦν, βλασφημεῖν,* cum praepos. *περί* et gen. iungi viderunt, tamen, quod secundum analogiam recte fieri posse non dubium, negarunt *περί τινος ἐπιδεικνύναι* usurpari. Sed iure etiam mirari licet Reiskium, qui tanta cum diligentia Demosthenem legisset, tanto opere a vero aberrasse. Confer Dem. or. adv. Macartat. §. 18. fin. p. 1055, 21. *πειρασόμεθα δὲ καὶ ἡμεῖς ὡς ἂν μάλιστα δυνώμεθα διὰ βραχυτάτων ἐπιδεῖξαι περὶ τοῦ γένους τοῦ Ἁγνίου.* — Vides autem *ἐπιδεικνύναι* duplicem hoc loco habere constructionem, qua de re in hoc libello saepius monuimus.

Or. adv. Onetor. II. §. 11. p. 878, 27. *Τίς γὰρ ἀνθρώπων ἠλίθιός ἐστιν οὕτως, ὃς ἀργύριον δοὺς τοσοῦτον — προςεγγυήσασθαι;* Fluctuant libri inter *ὡς* et *ὅς*. Reiskius, Dindorf. et Schaefer. *ὡς*, Bekker. *ὃς* dedit. Non improbabilis videtur coniectura esse, utrumque et *ὡς* et *ὃς* delendum. V. Bernhardy Syntax. p. 362. Aeschyl. Agamemn. 479.

Or. adv. Macart. §. 77. p. 1077, 8. *Καὶ οὕτως ἐστὶν ὑβριστής, ὥςτε γενομένου αὐτῷ υἱέος τοῦτον μὲν εἰςαγαγεῖν εἰς τὸν οἶκον τὸν Ἁγνίου υἱὸν τῷ Ἁγνίᾳ ἐπελάθετο καὶ ταῦτ' ἔχων τὸν κλῆρον τὸν Ἁγνίου καὶ φάσκων πρὸς ἀνδρῶν αὐτῷ προςήκειν, τοῦτον δὲ τὸν υἱὸν τὸν γενόμενον τῷ Μακαρτάτῳ εἰςπεποίηκε τῷ πρὸς μητρὸς εἰς τοὺς Προςπαλτίους· τὸν δὲ Ἁγνίου οἶκον εἴακεν ἔρημον εἶναι τὸ τούτου μέρος·* etc.

Non sine iure offendit Schaeferus in illis *τοῦτον μὲν, τοῦ-*

τον δὲ, quae duo diversos indicare videntur. At unus tantum intelligendus. Quare cum in Aug. I. et cod. r legatur: *ὥςτε γενομένου αὐτοῦ υἱέος τοῦ μὲν* etc., Schaefero ita scribi placuit „*ὥςτε γενομένου αὐτῷ υἱέος τοῦ μὲν εἰςαγαγεῖν ἐπελάθετο* etc. At si quid secundum illos codd. mutandum esset, mallem ego: *ὥςτε — τοῦ τοῦτον μὲν* etc. Sed nihil omnino mutandum esse visum est. Nam ita putavi vulgatum explicandum esse:

Primum sententia ipsa, quo minus duo homines intelligantur, impedit; unum enim habuit Theopompus filium, Macartatum, idque diserte dicitur verbis „*γενομένου αὐτῷ υἱέος.*“ Deinde constat *μὲν — δὲ* adiungi verbo eidem bis posito ita, ut una quidem, quam dicunt, persona intelligatur, diversa autem de ea praedicentur. Quid mihi velim, indicabit hic Demosthenis locus or. adv. Timocr. §. 30. *Καίτοι πῶς οὐ δεινὸν εἰδότα μὲν τοὺς νόμους — κυρίους ὄντας, εἰδότα δ' οὐκ ἐῶνθ' ἕτερον νόμον ψήφισμα οὐδὲν — νόμου κυριώτερον εἶναι.* Denique ut minus etiam dubitem recte illo loco omnia dici, efficit locus Homeri, Il. IV, 413. ubi postquam Agamemno Diomedem vituperaverat, quod immemor pugnae otiosus staret, Sthenelo comiti ea de re irato haec dixit Diomedes:

Τέττα, σιωπῇ ἧσο, ἐμῷ δ' ἐπιπείθεο μύθῳ·
οὐ γὰρ ἐγὼ νεμεσῶ Ἀγαμέμνονι ποιμένι λαῶν
ὀτρύνοντι μάχεσθαι ἐϋκνήμιδας Ἀχαιούς.
Τούτῳ μὲν γὰρ κῦδος ἅμ' ἕψεται, εἴ κεν Ἀχαιοὶ
Τρῶας δῃώσωσιν ἕλωσί τε Ἴλιον ἱρήν,
τούτῳ δ' αὖ μέγα πένθος, Ἀχαιῶν δῃωθέντων.

Haec monenti adversatus est Hermannus et Demosthenis locum aliter explicuit. Quod quid esset, indicavi statim interpunctione mutata. Nam quod Bekker. colon posuit ante alterum *τοῦτον*, mutavi in comma et deinde post *εἰς τοὺς Προςπαλτίους* pro commate colon posui. Vides igitur verba *Καὶ οὕτως ἐστὶν ὑβριστὴς, ὥςτε — Προςπαλτίους·* unam efficere sententiam et huic opponi sequentem: *τὸν δὲ Ἁγνίου οἶκον εἴακεν ἔρημον εἶναι* etc. Ita non illud *δὲ*, quod alteri *τοῦτον* iunctum est, opponitur particulae *μὲν,* sed *δὲ* in verbis *τὸν δὲ Ἁγνίου.* — Causa cur ita statuendum sit, haec est. Cum dictum sit *γενο-*

μένου αὐτῷ υἱέος i. e. *τοῦτον, ὃς ἐγένετο αὐτῷ, υἱόν*, quae sequuntur arcte coniungenda sunt usque ad illud *Προσπαλτίους*.

Sed videamus etiam aliud, quod Schaeferus hoc loco mutandum esse censet. Verba *τὸν υἱὸν τὸν γενόμενον τῷ Μακαρτάτῳ* e margine in textum immigravisse videntur Schaefero. Illud *τῷ Μακαρτάτῳ* cur offendat, ego non intelligo. Oppositionis causa orator ipsum nomen addit. Facilius concedam *τὸν υἱὸν τὸν γενόμενον* eiicienda esse. Sed, nisi fallor, concedendum hoc est oratori, ut, quemadmodum videmus leges distincte et accurate exprimi, in his orationibus forensibus prolixius loquatur, quo illum ipsum filium intelligendum esse appareat. Ad quam copiam verborum excusandam hoc etiam aliquid facere videtur, quod in fine orationis omnia, quae antea dicta sunt, repetuntur et quasi coarctantur.

Or. contra Eubulid. §. 8. p. 1301, 21. *καὶ βουλεύων — καὶ κύριος ὢν τοῦ θ᾽ ὅρκου καὶ τῶν γραμματείων ἐξ ὧν ἀνεκάλει τοὺς δημότας, τί ποιεῖ;* Vulgata est *ἐνεκάλει*, sed Hier. Wolf. correxit *ἐκάλει*, quod probat Taylorus, non improbat Schaeferus ut usitatum in ea re. Vide eius orat. §. 9. 10. 11. p. 1302, 1. 3. 8. — Vide igitur, ne codex Σ hic quoque genuinam lectionem praebeat „*ἂν ἐκάλει.*“ De particula *ἂν* talibus locis posita v. Herm. in libro, quem de ea conscripsit p. 21. ed. Lips. — Ita fere transferas locum in nostram linguam: Da er als Demarch im Besitz der Eidesformel und der Verzeichnisse war, aus welchen er seine Zunftgenossen nach Gelegenheit aufrief — .

Eiusd. orat. §. 15. p. 1303, 15. sine dubio scribendum est: *ἵν᾽ ἀπηλλαγμένοι ἦ ε σ α ν ποιήσαντες τὰ ὑμῖν ἐψηφισμένα.* Vulgo *εἴησαν*. Nam dicitur aliquid, quod, si aliud praecessisset, factum esset. Et ducunt eo codd. nonnulli; nam Bavaricus *ἤεσαν*, *F ἤιεσαν, ΣΦ ειεσαν* (*η* et *ει* saepe mutari constat) habent.

Haec habui adiicienda omninoque de toto libello praefanda. Quod restat hoc est, ut quod aetatis meae esse non possit, id ne nimis severe desideretur vehementer rogem. Scribebam Lipsiae ipsis Cal. Aug. A. MDCCCXXXI.

Olynth. I. p. 14, 24. Reisk. §. 20. Bekk.

Τί οὖν ἄν τις εἴποι, σὺ γράφεις ταῦτ᾽ εἶναι στρατιωτικά; μὰ Δί᾽ οὐκ ἔγωγε. ἐγὼ μὲν γὰρ ἡγοῦμαι στρατιώτας δεῖν κατασκευασθῆναι καὶ ταῦτ᾽ εἶναι στρατιωτικὰ καὶ μίαν σύνταξιν εἶναι τὴν αὐτὴν τοῦ τε λαμβάνειν καὶ τοῦ ποιεῖν τὰ δέοντα· ὑμεῖς δὲ οὕτω πως ἄνευ πραγμάτων λαμβάνετε εἰς τὰς ἑορτάς.

Qui obiter tantum Demosthenem legit, huius loci difficultatem et quanto opere interpretes in eo explicando, defendendo atque etiam corrigendo laboraverint, habet cognitum, ita ut, cum novissimos orationum philippicarum Demosthenis editores de eo, quid sit statuendum, consentire sciam, litem iam compositam denuo moventi timendum sit ne novandi cupiditate abreptus et homo turbulentus esse videar. Sed tamen rem suscipiendam esse duxi. Primum autem, quod leve est, non recte interpunxisse apparet Bekkerum omnesque reliquos editores post particulam *οὖν*, quae res hodie tam est nota, ut eam illos viros fugisse sit mirum. V. Schaefer. ad Dem. p. 13, 6. Reisk. Erfurdt. ad Soph. Oed. Reg. v. 929. ed. Herm. et Hermann. de part. *ἄν* lib. IV. c. 7. Idem de encliticis statuendum. V. Schaef. ad Dem. p. 169, 17. — Sed ne verba *τί οὖν σὺ γράφεις* iungantur, post verbum *εἴποι* comma ponendum. Rectissime enim Schaefer. ad Dem. p. 273, 20. monet, interpunctionem hunc unum habere usum, ut regat pronuntiationem.

Jam vero, ut rem paulo graviorem aggrediamur, ipsam sententiam, quae verbis *ἐγὼ μὲν γὰρ ἡγοῦμαι* etc. exprimitur, ac-

curatius consideremus. Et lege vetitum erat, ne quis de theoricis abrogandis ad populum referret (v. Boeckh. Oeconom. polit. Athen. tom. I. p. 194 sqq.), ita ut Demosthenes si vera esset huius loci sententia, capitis periculum adiret, et sibi ipsi contradiceret orator, si, qui modo iurans negasset se *γράφειν ταῦτ᾿ εἶναι στρατιωτικά,* nunc id suaderet (*ἐγὼ-ἡγοῦμαι ταῦτ᾿ εἶναι στρατ.*). Quae cum ita sint, variis modis interpretes locum tentarunt et explicando et corrigendo. Sed omnes isti modi caruerunt felici successu. V. inprimis Schaeferum ad h. l. Jam vero Bekkerus rem optime solvit: uncis enim inclusit illud *ταῦτα* altero loco positum. Quod etsi contra libros fecisset (probabiliter sane Schaeferus librorum duorum Parisinorum, quos Reisk. contulit, scripturam huc refert e versu 25.), tamen assensum tulit omnium interpretum, Schaeferi, Rauchensteinii (dissert. de oratt. Olynth. ordine p. 55. ed. Lips.), Engelhardti adnot. critic. in Dem. etc. Berol. 1828. p. 23, Bremii, Voemelii et Ruedigeri in ed. II..

Sed vehementer ego miror omnes Bekkeri, Ruedigeri et praeter illos Parisinos non optimos etiam Reiskii libros tueri illud pronomen idque tale verbum, quod quemque vel obiter legentem offendat ita, ut non si omisissent, sed si addidissent librarii pronomen, offenderemus. Deinde vel necessarium esse videtur illud pronomen propter sequentia *ὑμεῖς δὲ-λαμβάνετε εἰς τὰς ἑορτὰς* sc. *ταῦτα τὰ στρατιωτικά*, ut in antecedd.; §. 19. *ταῦτα δὲ ὑμεῖς οὕτως ὡς βούλεσθε λαμβάνετε,* ubi eadem sententia exprimitur. Denique offendo eo, quod cum Demosth. aliis in locis (v. Olynth. III. §. 9. 19. 31. ed. Bekk. et quae locum, de quo nunc sermo, proxime antecedunt §. 19. *εἰ μὲν οὖν ταῦτα τοῖς στρατευομένοις ἀποδώσετε* etc.) libere et acerbe Athenienses propter turpem illius pecuniae usum vituperet, hoc loco anxie voluntatem celat. „At capitis periculum imminet.“ Recte, eo igitur modo loquatur orator necesse est, ut legem illam improbare, sed non diserte tollere videatur.

Haec cogitanti in mentem venit explicatio, quam deinde apud Voemel. vidi excogitatam esse iam ab Ulpiano haec dicente: *Ἀνθυποφορὰ πάλιν· σύ, φησί, γράφεις τὰ θεωρικὰ εἶναι στρατιωτικά; εἶτα λύει, ὅτι συμβουλεύω μέν, οὐ γράφω δὲ τὸν κίνδυνον εἰδώς.* Sed bene deinde intellexi hanc sententiam nullo oratore, nedum Demosthene, sed sophista esse dignam. Alia iam in promtu est explicatio, quae salva nititur librorum scriptura et dignam oratore praebet sententiam.

Ita enim librorum scripturam retineri censeo, ut verba *ἡγοῦμαι-ταῦτ᾿ εἶναι στρατιωτικὰ καὶ μίαν σύνταξιν εἶναι τὴν αὐτὴν τοῦ τε λαμβάνειν καὶ τοῦ ποιεῖν τὰ δέοντα* arcte cohaereant. Jam haec exsistit oratoris sententia: Neutiquam ego hanc vobis pecuniam eripi iubeo, sed ita dividi eam cupio, ut qui accipiat, agat etiam quae sunt necessaria vel ut qui officio satisfecerit, accipiat. *Τὸ ἄνευ πραγμάτων λαμβάνειν* vituperat. Hanc sententiam etiam alibi profert. V. Olynth. III. §. 33. *ἐὰν οὖν ἀλλὰ νῦν γ᾿ ἔτι ἀπαλλαγέντες τούτων τῶν ἐθῶν ἐθελήσητε στρατεύεσθαί τε καὶ πράττειν ἀξίως ὑμῶν αὐτῶν καὶ ταῖς περιουσίαις ταῖς οἴκοι ταύταις* (intelligit theorica) *ἀφορμαῖς ἐπὶ τὰ ἔξω τῶν ἀγαθῶν* (sc. pugnantes pro patria et pristinam dignitatem redipisci studentes) *χρήσησθε, ἴσως ἄν, ἴσως — τέλειόν τι καὶ μέγα κτήσαισθε ἀγαθόν* etc. Suadet igitur aperte, ut illa pecunia utantur ad apparatum bellicum utque, qui in bellum proficiscatur, mercedem accipiat. Quare sic pergit §. 34. *οὐκοῦν σὺ μισθοφορὰν λέγεις; φήσει τις. καὶ παραχρῆμά γε τὴν αὐτὴν σύνταξιν ἁπάντων, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἵνα τῶν κοινῶν ἕκαστος τὸ μέρος λαμβάνων ὅτου δέοιτο ἡ πόλις, τοῦθ᾿ ὑπάρχοι.* Id deinde exponit: inprimis huc pertinent, quae deinde dicit: *συμβαίνει τι τοιοῦτον οἷον καὶ τὰ νῦν; στρατιώτης αὐτὸς ὑπάρχων ἀπὸ τῶν αὐτῶν τούτων λημμάτων, ὥς πέρ ἐστι δίκαιον ὑπὲρ τῆς πατρίδος. ἔστι τις ἔξω τῆς ἡλικίας ὑμῶν; ὅσα οὗτος ἀτάκτως νῦν λαμβάνων οὐκ ὠφελεῖ, ταῦτ᾿ ἐν ἴσῃ τάξει λαμβανέτω πάντ᾿ ἐφορῶν καὶ διοικῶν ἃ χρὴ πράττεσθαι.* Quae igitur in prima orat. significaverat tantum, in tertia uberius exposuit orator. Eandem sententiam profert auctor orat. *περὶ συντάξεως* §. 2. Bekk. pag. 166, 16. Reisk. — *εἰ μὲν οὖν μετὰ τοῦ πράττειν ἃ προςήκει καὶ τὸ λαμβάνειν κατασκευάσεσθε* etc. et §. 9., p. 168, 22.

Denique commemoratu digna est scriptura codd. *FΣ* Bekk. Bavaric. et Aldinae Taylori pro *λαμβάνετε* exhibentium infinitivum *λαμβάνειν*, quo assumpto acerbior fit oratoris sententia: „Ego censeo, qui nihil agat, nulla dignum esse mercede, vos longe aliter statuitis non opus esse his ambagibus et molestiis, sufficere accipi pecuniam sine labore.“ — Ita igitur orator hoc non inertiae, quae naturali quodam sensu fugit labores, sed voluntati civium et iudicio tribuit.

Ol. I. p. 16, 10. R. §. 24. Bekk.

Εἶτ' οὐκ αἰσχύνεσθε, εἰ μηδ' ἃ πάθοιτ' ἂν εἰ δύναιτ' ἐκεῖνος, ταῦτα ποιῆσαι καιρὸν ἔχοντες οὐ τολμήσετε;

Non commemorarem hunc locum, nisi omnes editores in grammatica ratione eius explicanda a vero aberrasse putarem. Miram quam ante de eo habuit Bremius sententiam, vide apud Schaefer., qui satis eam refutavit. Ruediger. neque in priore neque in altera editione oratt. philippic. quidquam de hoc loco monuit. Bremius nunc in edit. et Voemel. *) certatim Schaeferi

*) Novum etiam ex interpretatione Voemelii lucramur praeceptum *μηδὲ-οὐ* pro simplici negatione *μηδὲ* dictum esse, ut saepe *μὴ οὐ* praecipue post *αἰσχύνομαι* etc. Addit deinde disiunctas *εἰ μὴ — οὐ* gravitatem quandam orationi addere videri, ut Eurip. Hipp. 1007. *κεἰ μὴ τὸ σῶφρον τοὐμὸν οὐ πείθει σ' ἴσως.* Quod quomodo fiat, non explicat. Rem exemplo explanabo. Dem. or. de fals. leg. §. 74. p. 364, 10. *οὐ γὰρ ὡς εἰ μὴ διὰ Λακεδαιμονίους, οὐδ' ὡς εἰ μὴ Πρόξενον οὐχ ὑπεδέξαντο — ἐσώθησαν ἂν οἱ Φωκεῖς.* Aliter hoc dici non potuit: praecedit vero §. 73. *ὅσα γὰρ νῦν ἐρεῖ περὶ τῶν Φωκέων — ὡς Πρόξενον οὐχ ὑπεδέξαντο.* Iam vero, quod ad Eur. l. l. adtinet, dubia est scriptura *κεἰ μὴ*. Monk. enim *καὶ δὴ*, Dindorf. *καίτοι*. Sed etiamsi scriptura *κεἰ μὴ*, quam Valcken. et Brunck. receperant, optima sit, tamen non addit orationi gravitatem. Nam *μὴ οὐ* eandem semper habent vim et quidem dubitandi. Iam vero apparet cur hoc loco *οὐ* a *μὴ* seiunctum et ad *πείθει* positum sit. Hippolytus enim in antecedd. *σωφροσύνην* suam explicaverat sperans, fore, ut patrem mo-

explicationem laudant, *οὐ* ante *τολμήσετε* additum esse propterea, quod intercapedo inter verba *εἰ μηδὲ* et *τολμ.* vim huius conditionis negantem nonnihil obscuraverit. At hanc doctrinam multis locis, ubi nulla est intercapedo particulam conditionalem inter et negativam, labefactari constat. Quid vero sit statuendum apparet. Negatio enim cum verbo, cui est apposita, unam efficit notionem. Jam vero *μηδὲ* saepissime locum habet in sententiis negativis, ubi primum res omnino negatur, tum partes eius. Dem. or. XIV. §. 7. Bkk., p. 179. fin. *σκεπτέον ὅπως μήθ' ἡμεῖς ἐν τῷ πολέμῳ γενησόμεθ' οὐκ ἴσοι, μήτ' ἐκεῖνος.* Ita facile explicatur locus in Platon. Menone, c. 21. ed. Buttm. *εἰ δὲ μὴ ἐν τῷ νῦν βίῳ λαβὼν οὐκ ᾔδει τοῦτο, δῆλον ὅτι* etc., ubi Buttm. (edit. IV.) vehementer offendit: dicit enim in ratione negationum *μὴ* et *οὐ* incongruum quid esse. Nam istud *οὐκ ᾔδει* manifesto pendere ab *εἰ* et dicendum fuisse *μή*, contra *μὴ λαβὼν* referri ad rem, quae ut vera iam ponatur, idemque esse *μὴ λαβὼν* quod *ἐπειδὴ οὐκ ἔλαβεν*, proprie igitur dicendum esse *εἰ — οὐ λαβὼν μὴ ᾔδει*; sed *εἰ* proximum sibi *οὐ* velut attraxisse (inde *μή*), *οὐ* autem particulam, quam aures tamen desiderarent, migrasse in alterum locum. Ea vero est mira doctrina. Illud apparet recte dici *εἰ μὴ — λαβὼν μὴ ᾔδει*, quoniam si solveris participium, conditio exprimitur: deinde quum *εἰ-οὐκ ᾔδει* dicitur, illud *οὐκ εἰδέναι* tanquam una notio cogitatur.

Huc porro pertinent loci, in quibus eadem verba in diversis sententiis sibi sunt opposita. V. Dem. or. de Chers. p. 103, 16. §. 55. *καίτοι ἔγωγ' ἀγανακτῶ καὶ αὐτὸ τοῦτο, — εἰ τὰ μὲν χρήματα λυπεῖ τινας ὑμῶν* etc. *τὴν δὲ Ἑλλάδα πᾶσαν ἐφεξῆς οὑτωσὶ Φίλιππος ἁρπάζων οὐ λυπεῖ*, ubi *οὐ λυπεῖν* non quidem est voluptatem iniicere, sed modo non dolore afficere. Cf. etiam or. de Rhod. lib. §. 23. 24. p. 197, 11. et extrem. de foed. cum Alex. §. 17. p. 216, 17., contra Androt. §. 18. p. 599. init.

veret. Hoc quanquam non diserte dicitur, totius tamen orationis ratio docet. Ad hanc igitur oppositionem refertur illud *οὐ πείθει.* Ergo hic quoque locus ad eos pertinet, de quibus supra sermo.

Sed vereor ne Alcinoo poma dedisse videar: rem enim notissimam tractavi. Quanquam paucis commemorare liceat Schaeferi praeceptum de negationibus, ad Dem. p. 77, 12. 103, 20. 125, 1. *οὐ* in orat. recta, *μὴ* in obliqua poni. Cuius doctrinae cum sit causa satis aperta, non tamen rem difficillimam illustrat neque difficultates expedit.

Ibid. p. 17, 16. R. §. 28. Bekk.

— ὡς ὁποῖ᾽ ἄττ᾽ ἂν ὑμᾶς περιστῇ τὰ πράγματα, τοιοῦτοι κριταὶ καὶ τῶν πεπραγμένων αὐτοῖς ἔσεσθε.

Non est causa, cur Schaeferus particulam *καὶ* ad totam enuntiationem referri posse neget et, quoniam non possit nisi ad proxime sequens *τῶν πεπραγμένων* pertinere, deleri iubeat ut ex antegressa syllaba natam. Potest sine dubio *καὶ* referri ad totam sententiam, modo iusta pronuntiatione vim particulae illustres. Plane idem usus particulae est in [Dem.] epist. I. p. 1463, 21. *οὐ μὴν ἀλλ᾽ ἐὰν ἐθελήσητε ἀκοῦσαι σιγῇ καὶ περιμείνητε πάντα μαθεῖν, οἴομαι κ α ὶ σὺν θεοῖς εἰρῆσθαι.* V. ibi interpretes turbas moventes. Simili in loco offendit *καὶ* interpretes Plat. Alcib. I. c. 1. b. Buttm., ed. Steph. p. 103. *τούτου δὲ τὸ αἴτιον γέγονεν οὐκ ἀνθρώπειον ἀλλά τι δαιμόνιον ἐναντίωμα, οὗ σὺ τὴν δύναμιν καὶ ὕστερον πεύσει*, ubi *καὶ* non ad *ὕστερον*, sed ad totam sententiam refertur. Arist. Nub. 524.

ἐξότου γὰρ ἐνθάδ᾽ ὑπ᾽ ἀνδρῶν, οἷς ἡδὺ καὶ λέγειν,
ὁ σώφρων τε χὠ καταπύγων ἄριστ᾽ ἠκουσάτην etc.

Particula his omnibus in locis facilem habet explicatum. Schol. ad Platonis l. l. hunc particulae usum *παραπληρωματικὸν* esse docet eiusque fontem repetendum ex Homero, Il. *β*. 827.

— τῶν αὖτ᾽ ἦρχε Λυκάονος ἀγλαὸς υἱός,
Πόνδαρος, ᾧ καὶ τόξον Ἀπόλλων αὐτὸς ἔδωκεν.

Hoc quoque grammaticorum commentum, ut multa alia, inane est: semper eandem retinet *καὶ* vim. Aeschin. or. in Ctes. §. 189. Bekk. *ὥςπερ ὑμᾶς ἀγνοοῦντας, ὅτι τοῖς μὲν πύκταις ἐστὶν ὁ ἀγὼν πρὸς ἀλλήλους, τοῖς δ᾽ ἀξιοῦσι στεφανοῦσθαι*

πρὸς αὐτὴν τὴν ἀρετήν, ἧς καὶ ἕνεκα στεφανοῦνται. De formulis *ὃ καὶ θαυμάζω, εἰ —, ὃ καὶ δέδοικα, μὴ —* v. Schaefer ad Dem. p. 368, 12. — Arist. Nub. 589.

αὖθις ἐς τἀρχαῖον ὑμῖν, εἴ τι κἀξημάρτετε,
ἐπὶ τὸ βέλτιον τὸ πρᾶγμα τῇ πόλει ξυνοίσεται.

Ibi aperte *καὶ* non ad sequens verbum, sed ad totam sententiam pertinet, liberius conformata oratione, ut in Dem. or. in Aristocr. §. 203. fin. p. 688, 15. *Τοιγάρτοι διὰ ταῦτα ὦ ἄνδρες Ἀθην. μικρὰ, ἃ πρὸ τοῦ μεγάλ᾽ ἦν, φαίνεται καὶ τὸ πρᾶγμα ἤδη καὶ πορρωτέρω βαδίζει καὶ οὐκέτι ταῦτ᾽ ἀπόχρη, ἀλλ᾽ εἰ καὶ μὴ φυλάξετε ἕκαστον τούτων, ἐκείνων γε οὐδεμία χάρις, ὡς ἔοικεν.* Recte haec transfert Iurinus: „Quod nisi singulis horum satellitum adeo vicem praestetis etc.“ quare Bernhardy ad Dionys. Perieg. p. 834. *εἰ καὶ μὴ* ita explicanda esse monet: *εἰ μὴ καὶ*.

Propter liberiorem particulae *καὶ* collocationem addo hunc locum Dem. or. de fals. leg. §. 89. p. 369, 18. *πρὸς δὴ ταῦτα ἐκεῖνο ὑμᾶς ὑπολαμβάνειν δεῖ ὅτι καὶ τὰ Φιλίππου πράγματα ἐκ τῆς εἰρήνης γέγονεν εὐπορώτερα πολλῷ καὶ κατασκευαῖς ὅπλων καὶ χώρας καὶ προςόδων*, ubi Schäfer. *καὶ* ante *κατασκ.* deleri vult, cum dicendum sit *κατασκ. καὶ ὅπλων καὶ χ.* etc. Idem movisse videtur librarios, ut scriberent *χώραις καὶ προςόδοις*. At his non opus, si cogitaveris, oratorem verba diligenter pronuntiavisse. — Sed qui olim offensui fuit locus Ciceronis Orator. §. 70. — *de quo (decoro) praeclare et multa praecipiuntur et res est cognitione dignissima*, nunc a Meiero ita recte explicatur, ut ad illud p r a e c l a r e intelligatur p r a e c i p i t u r.

In his igitur locis *καὶ* paullo liberius collocatum offendit interdum interpretes. Sed sunt alii etiam, in quibus propter usum singularem, sed prorsus elegantem, odio persecutus est istam particulam Schaeferus. Quae res etsi fortasse pusilla videatur, neglecta tamen aperte demonstrat, quam incuriose et festinanter interpretes interdum versati sint in veteribus scriptoribus edendis.

Demosth. igitur or. adv. Polycl. init. p. 1206. haec dicit: *Τοῖς τοιούτοις τῶν ἀγώνων - καὶ τοὺς διαγνωσομένους προςήκει μάλιστα προςέχειν τὸν νοῦν.* Schaeferus, quae sunt eius de-

liciae, *καὶ* e syllaba praecedente ortum esse dicit. At est ita positum, vix ut alia lingua id possit imitari: sensum apparet hunc esse: *εἶ τοιοῦτοί εἰσιν οἱ ἀγῶνες* (i. e. tam graves tantique momenti), *καὶ τοὺς διαγνωσομένους προςήκει μάλ. προςέχ. τ. ν.* Or. adv. Neaer. §. 2. p. 1345, 22. *ὄντος δὲ χρηστοῦ τοῦ Ἀπολλοδώρου περί τε τὴν ἀδελφὴν τὴν ἐμὴν καὶ περὶ ἡμᾶς ἅπαντας καὶ ἡγουμένου τῇ ἀληθείᾳ οἰκείους ὄντας καὶ κοινωνεῖν πάντων τῶν ὄντων* etc. Reisk. et Schaef. rursus *καὶ* reiiciunt. Sed quis non videt *καὶ* ad participium referri. Vide locos similes hosce: Dem. or. de Rhod. lib. §. 28. p. 199, 6. *ὁρῶ γὰρ ἅπαντας πρὸς τὴν παροῦσαν δύναμιν καὶ τῶν δικαίων ἀξιουμένους.* Or. de fals. leg. §. 186. p. 399, 21. *ὅπως τὰ δόξαντα καὶ δυνηθῶσι ποιῆσαι.* Adv. Aristocr. §. 108. p. 656, 17. *ἀλλ' ὅμως ἐκεῖνοι τέως μὲν ἑώρων αὐτὸν τηλικοῦτον ἡλίκος ὢν καὶ πιστὸς ὑπῆρχεν* etc. Adv. Stephan. II. §. 11. p. 1132, 10. *καίτοι τοὺς μὲν τὰ πεπραγμένα μαρτυροῦντας προςήκει οἴκοθεν τὰς μαρτυρίας κατεσκευασμένας μαρτυρεῖν, τοὺς δὲ τὰς προκλήσεις μαρτυροῦντας τοὺς ἀπὸ ταὐτομάτου προστάντας καὶ ἐν μάλθῃ γεγραμμένην τὴν μαρτυρίαν* sc. *μαρτυρεῖν προςήκει.*

Eodem modo particula negativa ponitur. V. orat. contra Phorm. §. 4. p. 908 2. *ἀλλ' ὑπὲρ μὲν τῶν μὴ γενομένων ὅλως συμβολαίων Ἀθήνησι μηδ' εἰς τὸ Ἀθηναίων ἐμπόριον παραγράφεσθαι δεδώκασιν.* Or. funebr. §. 34. p. 1400, 2. *οὐ γὰρ ἰδών τις οὐδὲ περὶ ἐκείνων ταῦτ' ἀπήγγελκεν.* Hic Reiskium propter illud *οὐδὲ* locum male explicantem corrigit Schaeferus.

Olynth. II. §. 4. p. 19, 4.

ὧν οὖν ἐκεῖνος μὲν ὀφείλει τοῖς ὑπὲρ αὐτοῦ πεπολιτευμένοις χάριν, ὑμῖν δὲ δίκην προςήκει λαβεῖν, τούτων οὐχὶ νῦν ὁρῶ τὸν καιρὸν τοῦ λέγειν.

En alium locum, qui tot disputationibus praebuit occasionem, in quo explicando multi doctrinae suae opes exhauserunt.

Etiam librarii offenderunt, uti e variis scripturis apparet. Quid viri docti statuerint, iam videamus.

Hieronym. Wolfius et Reisk. vulgatam, quanquam quo eam firment, non habent, explicare student. Augerius posse intelligi hanc scripturam fatetur, sed recepit quod nonnulli cdd. habent *ὑπὲρ* ante *τούτων*. Ruediger. in utraque editione duas structuras confusas esse docet, *καιρὸν τούτων* et *καιρὸν τοῦ λέγειν*. Quam explicationem Rauchenstein. (v. Jahni Annal. Ser. V. Vol. 1. fasc. IV. p. 395.) probat, improbat vehementer Schaeferus: iure, opinor. Nam quis non videt, *καιρὸν τούτων* et *καιρὸν τοῦ λέγειν* prorsus inter se differre? Bremius postquam Car. Fr. Heinrichii sententiam attulit, affert etiam Schaeferi verba, ita ut ipse iam de veritate huius scripturae dubitare videatur. Voemelius quid sibi velit non liquet: primum enim per attractionem genitivum *τούτων* explicat, deinde Heinrichium laudat. Guil. Dindorfius praef. ad Dem. p. III. *τοῦ λέγειν* adeo eiiciendum censet. Videamus iam de Heinrichii sententia, quam unice probat Bakius (Nov. Bibl. crit. Bat. vol. V. p. I. pag. 210). Comparat Demosthenis locum cum notissima illa dicendi forma apud Latinos: „mos dierum per menses digerendi." Ad idem denique quanquam ab alia exorsus explicatione pervenit Ruedigerus ita locum transferens: „eorum nunc non video tempus dicendi." Recte sine dubio Heinrich. originem huius structurae penes Demosth. esse contendit. Sed miror ego et Ruediger. et Heinrich. cum hanc structuram e latina lingua compararent, non vidisse eius explicationem. Heinrichio enim genitivus alter, nominis, obiecti est, alter, verbi, explicando obiecto. Sed quis quaeso hoc intelligit „mos dierum", nisi addatur, quod prorsus necessarium est, „per menses digerendi?" Itaque utrumque hoc arcte cohaeret unamque efficit notionem. Schaefero autem scrupulus resedit, quare Franc. Volkmar. Fritzschius quaest. Lucian. p. 111. similes, quos requisivit Schaeferus, locos afferre studuit: sed tales attulit, qui cum Demosthenico vix possint comparari. (V. acerbum de Fritzschio iudicium Schaeferi ad Dem. p. 944, 1.) Nam duplicem gen. uno cum substantivo iunctum, alterum subiecti, obiecti alterum alienum esse ab hoc loco apparet. Dein-

de ut inf. etiam ita poni demonstret, comparat Dem. or. de pace §. 22. p. 62, 23. — *τὴν δόξαν τοῦ πολέμου τοῦ δοκεῖν δι' αὐτὸν (Φίλιππον) κρίσιν εἰληφέναι.* Recte Reiskius *τοῦ δοκεῖν — εἰληφέναι* expositionem esse monet dictionis *τὴν δόξαν τοῦ πολέμου*, ut or. de symmor. init. *αὐτοὶ μὲν τοῦ δοκεῖν εὖ λέγειν δόξαν ἐκφέρονται*, quod in or. Timocr. §. 182. p. 757. alio modo dicitur *τοὺς δ' ἀναθέντας δόξαν οὐ μικρὰν ἀφῄρηνται, τὸ δοκεῖν* etc. Plato Criton. c. XV. Buttm. *τὴν δόξαν, ὥςτε δοκεῖν.* — Falso etiam affert Fritzsch. Dem. ad Nausimach. §. 24. p. 991, 23. *ὧν δὲ τοῦ μὴ κατηγορῆσαι τοσαῦτα χρήματα ἐπράξασθε* etc., ubi *ὧν* gen. ex more a *κατηγ.* pendet.

Ante omnia probandus est exemplis hic infinitivi usus, ut cum articulo iunctus substantivi locum teneat indeque genitiv. ab se pendentem habeat. Id vero eo loco, quem ipse Fr. affert, Soph. Trach. 56. efficitur

— — *εἰ πατρὸς*
νέμοι τιν' ὥραν τοῦ καλῶς πράσσειν δοκεῖν.

Hic gen. subiecti adpositus infinitivo; inde efficitur, obiecti etiam gen. posse ita poni (ut *οἱ λόγοι τῶν σοφῶν* et apud Dem. de cor. p. 281, 6. §. 106. *τοὺς λόγους αὐτῶν* sc. *τῶν ἔργων*, ubi v. Schaefer.). Id ego intellexi iam ante hos tres annos, cum amici cuiusdam de Demosth. loco *τοῦ λέγειν* eiicientis iudicium refutarem, vehementerque laetatus sum, cum Herm. meam sententiam probaret illumque Soph. locum, ubi ipse ita iudicasset, afferret. Sed fugisse eum locum viros, qui in scholis docent, id vero mireris.

Sed laetor etiam hac data opportunitate memoriam me posse recolere Voigtländeri, praeceptoris dilectissimi, qui cum in programmate, quod Schneebergae a. 1825. prodiit, de nonnullis locis Lycurgi in Leocr. orat. dissereret, p. 4. obiter haec scripsit „Quod pag. ead. (148. Osann. 235. Reisk. §. 142. Bekk.) legitur: *ὑπὲρ ὧν τοῦ μὴ καταλυθῆναι* (omittenda enim videtur esse omnis interpunctio) *χίλιοι — ἐτελεύτησαν*, male tentatum a Tayloro, comparandum videtur verbis Xenoph. Hier. IV, 4. *τὸ δὲ τούτων συντέμνειν* a nullo interpretum, ne a Frotschero quidem (qui *τούτων* gen. partitivum, quem dicunt, esse putat, quod ne fiat, praepos. *σὺν* videtur prohibere. F.), ut videtur, recte explicatis. Inf. substantivi loco positus genitivum adsciscit.“ *)

Neque id mirum videbitur, si quidem apposito articulo quaevis orationis pars, adverbia, praepositiones etc. nominis vim accipiunt. Quare non raro fit, ut participia cum articulo substantivorum loco sint, ut *τὰ συμφέροντα τῆς πατρίδος*, [Dem.] adv. Phil. epist. §. 22. p. 158, 12. R. Quid? quod adeo sine articulo participium ita usurpatur, ut Dem. Ol. II. p. 18, 15. §. 2. *πόλεων καὶ τόπων — προϊεμένους*, ubi articulus poni nequit. V. ibi Schaefer. Ita Cic. or. pro P. Sextio c. 45. in Vatin. c. 5. et pro Quintio c. 19. dicit *negotii gerentes* et *sui negotii gerens.*

Orat. eiusd. §. 12. p. 21, 21.

Ὅσῳ γὰρ ἑτοιμότατ' αὐτῷ (τῷ λόγῳ) δοκοῦμεν χρῆσθαι, τοσούτῳ μᾶλλον ἀπιστοῦσι πάντες αὐτῷ.

Ita in optimis et plerisque libris legitur; pauci habent comparativ. *ἑτοιμότερον*, quem requirit Schaefer., cum in altera orationis parte idem sit. Sed nulla horum graduum enallage fieri potest. Vehementer errat Voemel. ita rem explicans: *ὅσῳ γὰρ μᾶλλον ἑτοιμότατα πάντων αὐτῷ δοκ. χρ.* etc. Neque magis probanda videtur Ruedigeri sententia superlativum (*ἑτοιμ.*) praestare, tum quod *ὅσῳ* huic gradui adiungi soleat (laudat Matth. gr. §. 462. p. 861.), tum quod maior quaedam insit vis. — Illud prius notissimum, alterum hoc demonstrandum, quod vix fieri potest.

Duplicem illa verba *ὅσῳ — τοσούτῳ* — vim habent, unam „quo magis — eo magis“ ubi utroque loco comparativus ponendus; alteram „q u a t e n u s vel q u o n i a m —, eo m a g i s.“

*) Huc patet referri non posse locum Dem. f. leg. p. 427, 17. §. 269. *ἀλλὰ τό γ' εὖ φρονεῖν αὐτῶν μιμεῖσθε*, quod est *αὐτῶν* (gen. partitiv.) *μιμ. τό γ' εὖ φρον.* ut or. XIII, §. 18. Bk. *αὐτὸ τοῦτο ὀρθῶς αὐτῶν ἔχει.*

Quod si fit, aut *ὅσῳ* nude positum, *τοσούτῳ* autem cum positivo, ut in Lucian. dial. mort. VI, 3. *ὅσῳ γὰρ ὑμεῖς ἐκείνους ἀποθανεῖν εὔχεσθε, τοσούτῳ ἅπασιν ἡδὺ προαποθανεῖν ὑμᾶς*, aut, quod eodem redit, et *ὅσῳ* et *τοσούτῳ* superlativum habent, ut [Dem.] adv. Phil. epist. §. 23. p. 158, 18. *ὡς ἅπας μὲν ἐστι λόγος μάταιος πράξεων ἄμοιρος γενόμενος, τοσούτῳ δὲ μάλιστα ὁ παρὰ τῆς ἡμετέρας πόλεως, ὅσῳ δοκοῦμεν αὐτῷ προχειρότατα χρῆσθαι τῶν ἄλλων Ἑλλήνων.* Tertium sequitur, ubi *τοσούτῳ* compar. habet, ut apud Herod. VIII, 13. *νὺξ πολλὸν ἦν ἔτι ἀγριωτέρη τοσούτῳ ὅσῳ ἐν πελάγεϊ φερομένοισι ἐπέπιπτεν.* V. Schaefer. ad Dem. p. 212, 21. 896, 2. 1359, 26. 1392, 3.

Quartum illud est, ubi *ὅσῳ* positivum, *τοσούτῳ* compar. habet adiunctum, ut in Thuc. V, 108. *τοὺς κινδύνους ἡμῶν ἕνεκα μᾶλλον ἡγούμεθ' ἂν ἐγχειρίσασθαι αὐτοὺς, ὅσῳ πρὸς τὰ ἔργα τῆς Πελοποννήσου ἐγγὺς κείμεθα,* ubi non mirum debet videri, *τοσούτῳ* in priori membro esse non positum. V. Duker. ad Thuc. VI, 89. Buttm. ad Plat. Alcib. II. p. 205. Eodem modo Liv. I. 25. dicit: — *eo maiore cum gaudio, quo prope metum res fuerat.*

Denique illa constructio locum habet, quam in Demosthenis loco, unde exorsi sumus, reperimus, quamque etiam Latinos novisse demonstrat Cic. de amicit. §. 19. *sic enim mihi perspicere videor, ita natos esse nos, ut inter omnes esset societas quaedam: maior autem, ut quisque proxime accederet.*

Plane inverso ordine Dem. contra Polycl. p. 1211, 12. §. 15. dicit: *ὅσῳ γὰρ φιλοτιμούμενος ἄμεινον ἐπληρωσάμην τὴν ναῦν ἐρετῶν ἀγαθῶν, τοσούτῳ μοι πλείστη ἀπόλειψις ἐγένετο τῶν ἄλλων τριηράρχων,* ad quem locum contra Reisk. defendendum Sch. affert Dem. p. 21, 22. illum ipsum igitur locum, quem antea corrigi voluerat.

Ac differre *ὅσῳ* cum compar. ab altero illo *ὅσῳ* sine comp. nemo non videt. Ubi enim *ὅσῳ* et *τοσ.* iunguntur cum comparativo, conferuntur duae res quarum par est ratio atque proportio, altero harum vocum usu duae res iunguntur, quarum dispar est ratio. Itaque si dico: *ὅσῳ μείζων ἐγίγνετο Φίλιππος, τοσούτῳ μᾶλλον ἐφθόνουν αὐτῷ*, sententia est: cum potentia eius crevit invidia. Sed *μᾶλλον ἐφθόνουν αὐτῷ τοσούτῳ, ὅσῳ μέγας γέγονεν*, significat: crevit invidia, quia potens est factus.

Locos autem, qualis Dem. or. Ol. III. §. 29. p. 36, 23. *ὅσῳ δὲ τὰ τῆς πόλεως ἐλάττω γέγονε, τοσούτῳ τὰ τούτων ηὔξηται* et Livii VI, 34. *quanto magis — tranquilla omnia foris erant, tanto in urbe vis patrum — crescebat,* hos, inquam, locos a vulgari structura non recedere apparet.

Liceat vero, quum res similis sit ei, de qua nunc dixi, commemorare usum particularum comparativarum *ὅπως — οὕτως* —, qui a vulgari recedere videtur. Dem. Ol. II. p. 21, 11. §. 11. *φημὶ δεῖν ὑμᾶς ἅμα τοῖς μὲν Ὀλυνθίοις βοηθεῖν καὶ ὅπως τις λέγοι* (sic enim Hermanno scribendum videtur ex Harleiano, ut in re quae utrum fiat nec ne, orator nescit) *κάλλιστα καὶ τάχιστα, οὕτως ἀρέσκει μοι.* Singularem plane habet de hoc loco sententiam Bremius, quam antea in fascic. observatt. etc. ad Dem. p. 72, 25. et nunc in edit. sua ad phil. I. §. 30. profert, ubi haec Demosthenes dicit: *ἐπειδὰν δ' ἐπιχειροτονῆτε τὰς γνώμας, ἃ ἂν ὑμῖν ἀρέσκῃ χειροτονήσατε,* de quo loco infra videbimus. Sed vide Bremii observationem: „Emphatice hoc dictum: quae vobis cum certa animi persuasione placuerint et certo consilio ea efficiendi. Sic Ol. I. (vulgo II.) §. 11. *φημὶ δὴ δεῖν* etc. (est hic ipse locus, de quo loquimur), ubi Reisk. sine necessitate addendum censebat *μάλιστα.*" Sed nolo pergere, v. ipsum Bremium. Iam vero aut ego nescio quid sit emphatice dictum, aut Bremius adeo est „vir emphaticus" (qualem Reiskium appellat) ut simplicissimam orationem emphaticam dicat. Quis, quaeso, verba *ἃ ἂν ὑμῖν ἀρέσκῃ χειροτονήσατε,* aliter intellexerit, quam „quae vobis placuerint, ea suffragiis firma reddite." Quis porro or. Timocr. p. 717, 8. (quem locum affert Bremius) *οἶδ' ὅτι φήσαιτ' ἄν, οἶδα* pro *εὖ οἶδα* positum esse arbitretur. Sed vide quanto opere emphasis studium arripuerit viros doctos. Voemel. enim ad l. l. or. Olynthiacae superlativ. in verbo *ἀρέσκει* implicari docet: eademque plane est sententia Ruedigeri et Schaeferi, qui afferunt Soph. Trach. 328.

ἠδ' οὖν ἐάσθω καὶ πορευέσθω στέγας
οὕτως ὅπως ἥδιστα etc.

Caecus ego sum, aut ita intelligendus locus: οὕτως πορευέσθω ὅπως πορεύεται ἥδιστα.

Jam vero si quaeris, quomodo sit explicandus locus ex or. Olynth. (nam alter phil. I. huc plane non pertinet), docet alius or. de Chers. §. 47. p. 101, 15. ὅπως ἔνι τὴν τῶν χρημάτων φυλακὴν ἀκριβεστάτην γενέσθαι, οὕτω ποιήσαντας etc. Itaque priorem locum ita explico: ὅπως τις λέγοι κάλλ. κ. τάχ. sc. βοηθεῖσθαι, οὕτω scil. κάλλ. καὶ τάχ. βοηθ. ἀρέσκει μοι. Οὕτως igitur plane non pertinet ad ἀρέσκει, sed ad sententiam, quae ex antecedd. facillime intelligitur, ut οὕτω hic quoque, ut millies, uno verbo quae antecedunt colligat et repetat.

Ol. III. p. 36, 1. §. 27.

Νυνὶ δὲ πῶς ὑμῖν ὑπὸ τῶν χρηστῶν τῶν νῦν τὰ πράγματα ἔχει; ἆρά γε ὁμοίως καὶ παραπλησίως; οἷς τὰ μὲν ἄλλα σιωπῶ etc.

Ita textum edidit Bkk. e libris praeter Y qui pro οἷς praebet καί, omnibus. Reiskius dederat καί cum plurimis codd.: οἷς ab indice Aldi et quinque codd. Reiskii exhibitum Schaeferus e syllaba praegressa ortum esse censet. *Καὶ* optime locum hic habere quivis videt. Illud οἷς duplici modo potest explicari, ut referatur ad antecedens ὑμῖν, uti explicuit Rauchenstein. in censura edit. II. Ruedigeri l. l. p. 399., aut, quod Engelhardt. l. l. p. 33. censet, ut intelligantur illi προστάται. Engelhardtium sequitur Voemel. Bremius utrum probet non dicit: nihil plane enim monet nisi hoc: „καὶ (ante παραπλησίως) quod tenent optimi codd. (alii enim ἢ) hic minuentis est: aequaliter vel saltem similiter.“ Notent hoc lexicographi. — Sed iure videtur Ruediger. in illo οἷς offendere ut satis contorte posito. Itaque cum alii libri καί, alii οἷς praebeant, oratorem scripsisse coniicio:

ἆρά γε ὁμοίως ἢ παραπλησίως ἐκείνοις; Τὰ μὲν etc.

Illud ἐκείνοις eo facilius in καὶ et οἷς mutari potuit, cum in

antiquis libris saepissime κεῖνος scribatur. V. Bekker. ad Dem. or. IV. §. 4. lin. 9. Asyndeton autem in verbis *Τὰ μὲν* etc. iustum est; sententia enim est explicativa. Coniecturae, quam proposui, favet locus Dem. or. de f. leg. §. 307. p. 439, 20. ubi de Aeschine sermo: ἐπειδὴ δὲ ἀφίκετο εἰς Μακεδονίαν καὶ τὸν ἐχθρὸν εἶδε τὸν αὑτοῦ καὶ τῶν Ἑλλήνων, τὸν Φίλιππον, ἆρά γε ὅμοια ἢ παραπλήσια τούτοις sc. ἐδημηγόρει, e quo loco etiam apparet in priore legendum esse: ὁμοίως ἢ παραπλησίως.

Phil. I. §. 30. p. 48, 17. R.

Ἐπειδὰν δ' ἐπιχειροτονῆτε τὰς γνώμας, ὃ ἂν ὑμῖν ἀρέσκῃ, χειροτονήσατε, ἵνα μὴ μόνον τοῖς ψηφίσμασι καὶ ταῖς ἐπιστολαῖς πολεμῆτε, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἔργοις.

Codd. fere omnes in ea scriptura consentiunt; aut enim χειροτονήσατε aut quod paucorum est χειροτονήσετε habent. Sola editio Parisina participium χειροτονήσαντες exhibet. Iam vero quaeritur, quomodo locus sit intelligendus. Hoc apparet dici non posse: „Quaecunque vobis placuerint, decernite eum in finem, ut etiam re vera bellum geratis.“ Quod cum intelligerent interpretes, aliam autem expediendi loci ingredi nescirent viam, coniectando medelam studuerunt afferre. Ita Reisk. coniecit esse scribendum „ποιεῖτε χειροτονήσαντες“, Auger. „χειροτονήσαντες ποιήσατε“, Schaeferus denique „— ἃ ἂν ὑμῖν ἀρέσκῃ ποιήσατε.“ Vulgatam tuitus est Voemel. qui haec monet: „placita ita rata habete, ut non — vel si mavis: placita eo proposito consilioque rata habete, ut ne —; ἵνα μὴ h. l. non finem, sed effectum et eventum significat = οὕτως ὥςτε μὴ c. inf.“ Affert deinde exempla e Luciano, Xenophonte Ephes. etc., quae etsi recte explicaret, tamen cum Demosthene non possent conferri. Sed ridiculam etiam sententiam inde puto nasci; omnia enim placita rata habentur eo consilio, ut efficiantur ea, quae sunt decreta. Bremius, ut supra monui, haec habet de emphasi cogitans: „Quae vobis cum certa animi persuasione placuerint et certo consilio ea efficiendi.“ Tum sine dubio recte sequitur ἵνα.

Eam explicationem probans futurum sequitur Rauchenstein. l. l. p. 394. Quam recte sequatur, ipse videat. Denique Ruedigerus commemorandus, qui nunc (in edit. II.) Bekkeri textum recepit, explicationem affert nullam. In priori edit. scripserat *χειροτονήσαντες* suppleveratque ante *ἵνα μὴ* „*ὁρᾶτε.*“ Illud particip. vehementer vituperat Schaef. soloecismum esse ratus: *ἐπειδὰν δ' ἐπιχειροτονῆτε χειροτονήσαντες*· sed per utriusque verbi vim licet dicere: *χειροτονήσαντες ἐπιχειροτονοῦσιν*. Gravius est illud, quod „*ὁρᾶτε*“ supplet Ruedig. ante *ἵνα μὴ*, quod fieri prorsus non posse cum non dubitem intellexisse nunc virum de Demosthene valde meritum, eum tantum, quem attulit, locum commemoro paullo difficiliorem explicatu, Homer. Odyss. VIII, 461, ubi Nausicaa haec Ulyssi dicit:

χαῖρε, ξεῖν', ἵνα καί ποτ' ἐὼν ἐν πατρίδι γαίῃ
μνήσῃ ἐμεῖ' ὅτι μοι πρώτῃ ζωάγρι' ὀφέλλεις.

Ibi non verba debent respici, sed sententia: „Saluto te salvumque et felicem te apud nos esse volo, ut mei memor sis etc.“ Similis locus est Eurip. Ion. 968.

ὁ παῖς δὲ ποῦ 'στιν; ἵνα σὺ μηκέτ' ἦς ἄπαις.

i. e. ubinam est puer? quaerite, ut ne tu sis amplius filio privata.

Iam vero si quaeris, cur interpretes tanto opere vexati sint illo loco, in particula *ἵνα* omnis inest difficultas. Scilicet post verba iubendi (ad quae etiam *χειροτονεῖν* recte refertur) quod Hermannus dissert. de aetate Orphei Argon. p. 814. observavit a recentioribus poëtis *ἵνα* et *ὄφρα* frequentari, etiam apud veteres scriptores non insolens esse concessit Vir Illustris, postquam hoc Demosthenis exemplum attuli aliudque quo illud firmarem. Nam in orat. de cor. §. 155. p. 279, 8. leguntur haec: „*ἔδοξε τὸν στρατηγὸν τὸν ᾑρημένον τῶν Ἀμφικτυόνων Κόττυφον τὸν Ἀρκάδα πρεσβεῦσαι πρὸς Φίλιππον — καὶ ἀξιοῦν, ἵνα βοηθήσῃ.* Confer ibi Schaef. qui in thesauro Steph. aliquot se exempla huius rarioris constructionis attulisse dicit. Sed hunc Dem. locum neminem interpretum, quos totum perlegisse scriptorem et verisimile et par est, ne novisse quidem iure indigneris.

Retinet vero *ἵνα* his in locis propriam vim id, quod effi-

citur, significans. Apud Latinos hic usus frequentissimus. Vide e. gr. Caesar. bell. Gall. I. 36. *ius esse belli, ut — imperarent.* Cic. offic. II. 22. *id est proprium civitatis, ut sit libera.* Legg. III. 15. *in ista sum sententia, nihil ut fuerit in suffragiis voce melius.* Tuscul. III. 29. *praeclarum illud est et si quaeris rectum quoque et verum, ut — amemus.*

His igitur tanquam fundamento disputationis praemissis revertor ad Demosthenis verba „*ἐπειδὰν δ' ἐπιχειροτονῆτε τὰς γνώμας, ἃ ἂν ὑμῖν ἀρέσκῃ, χειροτονήσατε, ἵνα — πολεμῆτε* i. e. postquam sententias suffragiis, (quodcunque id est, quod vobis placuerit), comprobaveritis, hoc decernite atque reddite firmum, ut revera — belletis.“ Gravia enim et acerba sunt oratoris verba populum reprehendentis, quod plerumque habeat *ἐπιστολιμαίους δυνάμεις* (v. §. 19. huius orationis, quocum loco cfr. Cic. pro Flacco §. 32. *Reliquum est, ut quaeratur, utrum ista classis cursu et remis, an sumptu tantum et litteris navigarit.*) Nunc monet ut non solum, quid sit agendum, decernant, sed etiam, ut aliquid fiat et ut exercitum exire iubeant.

Verba *ἃ ἂν ὑμῖν ἀρέσκῃ* per se posita sunt omnique grammatico nexu cum reliquis soluta, ut Plat. Gorg. p. 503. E. *εἰς τάξιν τινὰ ἕκαστος ἕκαστον τίθησιν, ὃ ἂν τιθῇ.* Cic. phil. VIII. §. 26. *caveri vult iis, qui secum sint, quidquid contra leges commiserint.* —

Apparet iam unde editionis Parisinae scriptura *χειροτονήσαντες* orta sit. Librarii enim, qui verba: „*ἃ ἂν — ἀρέσκῃ*“ ita nude posita viderent eaque quo essent referenda, nescirent, librorum scripturam in particip. mutaverunt.

Orat. de pace p. 61, 15. §. 17. Bekk.

οὐκ ἄχρι τῆς ἴσης ἕκαστός ἐστιν εὔνους οὐθ' ἡμῖν, οὔτε Θηβαίοις, ὥςτε εἶναι καὶ κρατεῖν τῶν ἄλλων.

Quoniam nunc video Ruediger. Engelhardt. (l. l. p. 44.) et Voemel. tueri hanc scripturam *ὥςτε εἶναι*, sed non probasse hunc usum verbi *εἶναι*, (ut sit salvum esse, superstitem

e s s e) nisi quod Voemel. locum Cic. (offic. I. §. 38.) ab Hier. Wolfio laudatum, (cui addendus epist. ad Brut. II. ep. 7. s. fin. -- *nec quidquam aliud decernitur hoc bello, nisi utrum simus nec ne.*) et Platonis locum, de quo statim dicemus, et haud paucos e scriptoribus aetatis posterioris attulit, id ante omnia agendum videtur, ut illum usum firmum reddamus atque certum. Buttmann. enim ad Plat. Criton. c. XI. *ἢ δοκεῖ σοι οἷόν τε ἔτι ἐκείνην τὴν πόλιν εἶναι*, coniicit (in addend. p. 207.) legendum esse — *ἐκείνην τὴν πόλιν πόλιν εἶναι;* nullum enim adhuc exemplum se vidisse dicit allatum, ubi *εἶναι* „salvum esse" significet, nisi ille usus huc vocetur, *εἶναι, οὐκέτ' εἶναι* et similia de hominibus dici apud poëtas; illud enim Demosth. de pace 61, 10. neminem invocaturum esse, cum non uno argumento demonstratum sit verissimam esse Reiskii emendationem, quanquam praestet cum Auger. legi *ὥςτε σῶς τε εἶναι.*

At nullo id demonstratum est argumento, nisi si interpretum dubitationem pro argumento habere velis. Affero hosce locos Demosthenis: or. de Chers. §. 17. p. 93, 28. *ἂν μὲν τοίνυν ᾖ τὸ συνεστηκὸς τοῦτο τὸ στράτευμα*, quod §. 46. p. 101, 8. dicitur: *ὅπως τὸ συνεστηκὸς τοῦτο συμμενεῖ στράτευμα ὁρᾶν.* Phil. III. §. 56. p. 125. 12. *ὅτ' ἦν ἡ πόλις.* Or. de Cor. §. 72. p. 248, 25. *ζώντων Ἀθηναίων καὶ ὄντων.* V. praeterea or. pro Megalopol. §. 10. fin. p. 204, 17. et §. 26. bis. p. 208, 25. et 209, init., or. de f. leg. §. 55. p. 358, 21. §. 64. p. 361, 13. §. 251. p. 420, 17., §. 294. p. 435, 19., adv. Lept. §. 22. p. 463, 21., adv. Timocr. §. 182. p. 757, init., quibus locis addo or. pro Phorm. §. 29. p. 953, 17. *Τιμοδήμῳ τῷ νῦν ἔτ' ὄντι καὶ ζῶντι.* Cfr. denique Schaefer. ad Dem. pag. 69, 23. qui ipse hunc usum concedit.

Recte deinde cum Seagero (cuius emendationem iure refutavit Schaef.) explicantur verba *ἄχρι τῆς ἴσης*: eo usque, ut par sit *τὸ εἶναι καὶ τὸ κρατεῖν*, sive *ἄχρι τοῦ καὶ εἶναι καὶ κρατεῖν.* Sententia existit igitur haec: „Non ita socii neque nobis neque Thebanis praesto sunt, dum et salvi simus et victores discedamus." Quae si vera explicatio est, minime est opus cum Schaefero scribi: *ὥςτε σῶς τε βούλεσθαι εἶναι* etc.

Or. de Haloneso §. 7. p. 78, 11.

Ὅταν δὲ λέγῃ περὶ τούτων ὡς ἐθέλει διαδικάσασθαι, οὐδὲν ἄλλο ἢ χλευάζει ὑμᾶς πρῶτον μὲν ἀξιῶν Ἀθηναίους ὄντας πρὸς τὸν ἐκ Πέλλης ὁρμώμενον περὶ τῶν νήσων διαδικάζεσθαι, πότερον ὑμέτεραι ἢ ἐκείνου εἰσίν· ὁπότε γὰρ ἡ μὲν δύναμις ἡ ὑμετέρα etc.

Omnes libri mss. in hac scriptura consentiunt, sed editio Felicianea, quam inter antiquas optimam dicit Reiskius, pro verbis „*ὁπότε γὰρ ἡ μὲν δύναμις*" exhibet lectionem „*ἔπειτα δ' εἴγε ἡ δύναμις*" eademque varietas adnotata est in exemplo Aldinae Lessingiano. Sed mirum profecto est tot tamque praestantes libros ne unum quidem vestigium depravatae scripturae offerre eo in loco, qui primo quidem obtutu videtur vitiosus esse. Nam formulae „*πρῶτον μὲν*" nihil in seqq. respondet. Reiskius unde loco mederetur non habuit. Auger. Felicianeae scripturam recepit, quem sequi tutissimum esse opinatur Schaeferus. Beniamin. Gotthold Weiskius (in dissert. super oratione de Haloneso, Lubbenae 1808. quam dissertationem Schaeferus in apparat. critic. etc. orationi de Haloneso praemittendam curavit) coniecit pro verbis — *εἰσίν. ὁπότε γὰρ* — scribendum „*εἶθ' ὁπότε γ' ἄρα,*" quae explicat „deinde si quidem —." Sed haec coniectura ut a librorum scriptura recedit, ita *ὁπότε γ' ἄρα* ne posse quidem dici videtur. Nam cum *ὅτε γε, ὁπότε γε, εἴγε* de certa re dicantur, *ἄρα* alienum est. Neque *ὁπότε γε* significat „si quidem" sed „quandoquidem."

Equidem locum sanum illamque editionis Felic. et cod. Lessing. scripturam ex uno fonte enatam esse censeo, ex additamento librariorum. Constat saepissime *πρῶτον μὲν* dici nullo sequente *ἔπειτα* et simil., sed orationem deinde aliter conformari, aut id, quod esset addendum, plane esse omissum. V. Bornem. ad Xen. Sympos. V, 2. Krueger. ad Anab. I. 9, 14. Schaefer. ad Dem. 473, 13. Matthiae misc. philol. vol. II. part. I. p. 98. coll. Goerenz. ad Cic. Legg. III. 9. p. 241. Academ. II. 12, §. 37. 15, §. 45. Neque Schaeferum reliquosque interpretes Demosthenis id nescire debeo censere. Sed quaeritur, cur interpretes illud *ἔπειτα* vel *εἶτα* tam

vehementer desiderent. Weisk. haec oratorem dicere arbitratur: „Irridet Philippus vos iudicio rem de Haloneso transigi iubens; primum enim *de insulis* ridiculum foret Athenienses, maris dominos, cum Macedone litigare, deinde *terram continentem* videremur sic ultro concedere.“ Hanc eius sententiam Schaeferus tacendo affirmat. Sed vereor ne ambo errent orationem duas in partes divellentes, ut illo *ἔπειτα* utique opus sit. Orator enim ita ratiocinatur: „Irridet vos Philippus postulans, ut cum ipso de insulis certetis. Causa, ob quam ita statuo, haec est: vos mari polletis, Philippus terra; insulas si ei concesseritis, iam desperandum vobis erit de terra continenti.“

Quodsi non opus est addi *ἔπειτα* eo certe loco, ubi interpretes eam particulam addere voluerunt, quaeritur iam, quid sit statuendum de verbis *πρῶτον μὲν*. Simplicissimum esset, si oratorem eius, quod esset addendum, oblitum esse putaremus. Sed id non opus, potius *πρῶτον μὲν* refer ad §. 9. p. 78, 25. *ἔτι περὶ συμβόλων* et §. 14. p. 80, 3. *περὶ δὲ τῶν λῃστῶν*, ut auctor huius orationis haec dicat: „*χλευάζει ὑμᾶς Φίλιππος πρῶτον μὲν ἀξιῶν* etc., *ἔτι τὰ σύμβολα, ἃ μέλλει ποιεῖν πρὸς ὑμᾶς, κύρια ἔσεσθαι*“ et denique „*ἀξιῶν ὑφ᾽ ἡμῶν εἰς τὴν θάλατταν κατασταθῆναι.*“ Ad hanc enim opinionem adducor §. 17. p. 80, 22. *Ταῦτ᾽ οὖν οἴεσθ᾽ ἂν Φίλιππον ἀξιῶσαι ὑμᾶς συγχωρῆσαι αὐτῷ, εἰ μὴ ὑμῶν μὲν κατεφρόνει* etc., quae verba cum priore loco plane consentiunt.

Quod si recte statuo, locus ita explicandus erit, ut haec „*οὐδὲν ἄλλο ἢ χλευάζει ὑμᾶς*“ summam sententiae efficiant et reliqua sic adnectantur: „*πρῶτον μὲν ἀξιῶν, ὅταν λέγῃ περὶ τῶν νήσων ὡς ἐθέλει διαδικάσασθαι, Ἀθηναίους ὄντας — διαδικάζεσθαι.*“ Ita vides libertate, quam non minus oratores requirunt quam poëtae, concessa interdum omnes difficultates posse removeri.

Ibid. §. 19. p. 81, 10.

Καὶ οἱ πρέσβεις ὑμῖν οἱ παρ᾽ ἐκείνου ἥκοντες διελέγοντο.

Codd. ΣY. Bekk., Aug. I. et tres levioris notae *ὑμῖν* ponunt post *ἥκοντες*, quem verborum ordinem mavult Schaeferus. Sed

unde horum librorum scriptura nata sit, apparet atque ea, quam dedit Bekk., propter exquisitum ordinem verborum et propter meliorem sonum, cum suaviora sint incisa (*τὰ κῶλα*), praeferenda est. Quia saepe factum est, ut in liberiore verborum collocatione apud Demosth. offenderent interpretes, paulo diutius ea in re morari utile erit. Fieri autem non potest, ut legem inveniamus, quae in his locis valeat omnibus, per quam statuere liceat, quousque illa libertas possit progredi. Sed iudices ea in re habemus optimos aures et sanam mentem; qui iudices si quid repudiant, est obsequendum. Haec autem in universum de liberiore illo verborum ordine videntur monenda: Primum semper nobis id respiciendum est, quam mentis Graeci habuerint agilitatem, e qua, nisi fallor, tanquam e largo fonte, permulta possis recte explicare. Alterum, quod debemus cogitare, hoc est, quo ardore oratores in dicendo fuerint, quo abrepti altiora quasi petebant accurata illa et pensitata verborum collocatione neglecta. Omnino animadvertere licet antiquos scriptores minus diligentiae hac in re posuisse quam nos et Francogalli et Angli solemus, sed illos totius sententiae conformationem magis spectasse quam singula verba, modo ne quid inepti et perversi fieret. Denique constat antiquos euphoniae fuisse studiosissimos indeque multa, quae in collocatione verborum possint offendere, esse repetenda. — Sed videamus iam singula.

Ac talia multa et paene infinita possunt afferri, ubi casus ab adiectivo aut partic. pendens disiungitur ab eo. V. Weiskii dissert. l. p. 21. Schaefer. appar. ad Dem. tom. II. p. 246. III. p. 282. coll. tom. II. p. 367. Sic in phil. II. p. 67, 22. *ἡ προσοῦσα ἀδοξία τῷ πράγματι.* de Cor. p. 233, 27. *ὁ μεταξὺ χρόνος τῶν ὅρκων.* ibid. p. 269, 12. *τὰς ὑπὸ τούτου βλασφημίας εἰρημένας.* Porro *ὡς, πάνυ* (v. Schaefer. ad p. 321, 26.), *οὕτω* (v. ad Dem. 282, 3.), *μάλα* (v. ad p. 503, 16.), *σφόδρα* (v. ad p. 583, 15.), *εὖ* (v. p. 275, 26. *εὖ πρᾶγμα συντεθέν*), *πολὺ* cum comparativo (v. ad p. 318, 7.), ut apud Latinos *minus* aliaque verba (cf. Schmid. ad Hor. Epist. I. X, 18. Beier. ad Cic. off. I. 13, 39. Walch. emend. Liv. p. 78.) haec verba, inquam, saepissime ab eo, ad quod pertinent, avelluntur. Sed haec levia et notissima. De particula *καὶ* liberius posita supra dictum est.

Notanda deinde haec: or. phil. I. init. *εἰ μὲν περὶ καινοῦ τινος πράγματος προὐτίθετο ὦ ἄνδρες Ἀθην. λέγειν*, ubi quod Harleian. habet „*λέγειν, ὦ ἄνδρες Ἀθ.*“ praefert Schaefer., quanquam et suavior sonus alterum ordinem commendat et loci similes, ut Ol. I. §. 16. p. 13. extr. *ἐγὼ δὲ οὐκ ἀγνοῶ μὲν ὦ ἄνδρες Ἀθην. τοῦθ' ὅτι* etc. et Liv. XXI. 43. *moriendum, milites, est.* — Sed non raro Schaef. peiorem ordinem probat, ut in phil. I. p. 43, 8. §. 10. *γένοιτο γὰρ ἄν τι καινότερον;* hic alii codd. habent „*τί δ' ἂν γένοιτο καινότερον;*“ quod probat Sch., quia in personato Dem. or. adv. Phil. epist. §. 17. p. 157, 2. eadem verba recurrant. Sed vix vulgata scriptura debetur librariis. Vide de eo loco C. Guil. Kruegeri annot. ad Dem. phil. I. specim. (Bernburg. 1826.) §. 27. extrem.

Cum illo loco, unde huius disputationis initium fecimus, conferas locos hosce: Or. de Rhod. lib. init. *ἐγὼ δ' οὐδέποτε ἡγησάμην χαλεπὸν τὸ διδάξαι τὰ βέλτιστα ὑμᾶς — ἀλλὰ τὸ πράττειν πεῖσαι ταῦτα.* Or. de Cor. §. 29. p. 259, 11. iure Bekkerus optimi libri scripturam *τῶν ἐθελοντῶν τότε τριηράρχων πρῶτον γενομένων τῇ πόλει* praetulit vulgato verborum ordini *ἐθελ. τριηρ. τότε πρῶτον* etc. Ibid. pag. 296, 23. §. 205. *φοβερωτέρας ἡγήσεται τὰς ὕβρεις καὶ τὰς ἀτιμίας, ἃς ἐν δουλευούσῃ τῇ πόλει φέρειν ἀνάγκη, τοῦ θανάτου.* Dionysius, qui hunc locum laudat, *τοῦ θαν.* post *ἡγήσεται* ponit idque probant Reisk. et Sch.; sed multo gravius *τοῦ θαν.* in fine positum.

Interdum audacius ea in re versatus est Demosth. ut or. de Cor. §. 20. p. 231, 21. ubi Bekk. haec dedit: „*Τί οὖν συνηγωνίσατο αὐτῷ πρὸς τὸ λαβεῖν ὀλίγου δεῖν ὑμᾶς ἑκόντας ἐξαπατωμένους;*“ Reiskius olim scripserat: *ἑκόντας ὑμᾶς*, quod nunc etiam Schaef. praefert, quoniam iungenda sint *ὀλίγου δεῖν ἑκόντας.* Recte hoc quidem, sed ideo non scribendum ita, quanquam etiam Reiz. ad Vig. p. 744. locum ita laudat. Cfr. or. in Lept. §. 76. p. 479. fin. *καὶ ὅτι πᾶσαν ἐπελθὼν ὀλίγου δέω λέγειν χώραν.* Cic. de orat. II. §. 57. *quasi e clarissima rhetoris officina.* (v. Orell.) et Cic. Brut. §. 175. — *C. Bilienus, homo per se magnus, prope simili ratione summus evaserat.* V. ibi Schuetz. et Orell.

Huc porro refer or. in Timocr. §. 153. p. 747. fin. *ἐγὼ μὲν γὰρ τῆς ἐσχάτης* (sc. *ὀργῆς τὸν τοιοῦτον νομοθέτην ἄξιον εἶναι*) *νομίζω, οὐχ ὅτι τοῦτον μόνον τὸν νόμον ἔθηκεν, ἀλλ' ὅτι καὶ τοῖς ἄλλοις ὁδὸν δείκνυσι.* Adv. Phaenipp. §. 3. p. 1039, 25. — *τὸν οὐ μόνον ἐμοῦ νῦν ὄντα πλουσιώτερον ἀλλὰ καὶ πρότερον*, ubi Sch. offendit. Ibid. §. 5. p. 1040, 13. *περιαγαγὼν τὴν ἐσχατιὰν πλέον ἢ σταδίων οὖσαν τετταράκοντα κύκλῳ.* Orat. adv. Steph. I. §. 3. p. 1102, 9. — *καὶ ἔτι πρὸς τούτοις τὴν μητέρα γήμαντος* (*Φορμίωνος*) *τὴν ἐμὴν ἀποδημοῦντος ἐμοῦ δημοσίᾳ τριηραρχοῦντος ὑμῖν,* (*ὃν δὲ τρόπον, οὐκ ἴσως καλὸν υἱεῖ περὶ μητρὸς ἀκριβῶς εἰπεῖν*).

Deinde non adeo reconditum est, et *οὐδὲ — εἷς* dici et *εἷς — οὔ*, sed maiori cum vi, quam *οὐδείς.* v. Schaefer. ad Dem. 873, 11. ubi quod affert simile *ἔτ' οὐκ*, ab *οὐκέτι* distinguit Herm. ad Soph. Trach. 160.

De pronomine personali *μοῦ, σοῦ* multis verbis a substantivo, ad quod pertinet, disiuncto et alii et Buttm. ad Midian. p. 17. monuerunt. Sed non sine iure offendit Schaeferum iste genitivus in hac or., §. 16. Bekk. pag. 520, 3. — *τοὺς στεφάνους τοὺς χρυσοῦς, οὓς ἐποιησάμην ἐγὼ κόσμον τῷ χορῷ, ἐπεβούλευσεν — διαφθεῖραί μου* etc. Recte videtur Schaefer. requirere *μοι.*

Porro in relativo offendisse video Schaeferum apud Dem. or. adv. Boeot. de dote §. 51. p. 1023, 17. *πρὸς τοῖς ἄλλοις ὅς.* — quod *ὅς* sic postpositum parum sibi placere fatetur Sch., cum §. 58. p. 1025, 12. dicatur „*οἵγε πρὸς τοῖς ἄλλοις*“. At quis neget utrumque recte dici, sed diversa vi? V. or. adv. Aphob. §. 36. p. 855, 5. *νόμος ἐστὶ διαῤῥήδην ὃς κελεύει.* Sed haec res non eget exemplis.

De pronominibus *τὶς* et *οὐδείς* pauca sufficiant. *Τὶς* saepe mediis verbis inseri monet Sch. ad Dem. p. 481, 26. ubi dicitur „*— τῶν τι δοθέντων.*“ Deinde saepe avellitur a nomine, ut in Phil. epist. §. 18. p. 163, 29. *τοὺς δυσχερὲς ὑποπτεύοντάς τι καθ' ἡμῶν.* Iam vero in orat. de cor. §. 3. p. 226, 19. *δυσχερὲς εἰπεῖν οὐδὲν* dederunt ex optimis et plurimis libris Reisk. et Bekk. sine dubio recte. Leonh. Spengel. autem in indice graec. locorum

apud Priscian. (qui index adiectus est illius editioni Varronis de lingua lat.) p. 633. probat *δυςχ. οὐδὲν εἰπεῖν,* ut Priscian. habet, adsentiturque Spengelio Fritzschius in censura illorum locorum, (v. Iahni Annal. Ser. IV. Vol. III. fasc. III. p. 339.) cum vix possit *οὐδὲν* ab adiectivo avelli. Fieri id posse ego crediderim.

De pronomine *οὗτος* haec videntur esse notanda: Or. contra Boeot. de dote §. 13. p. 1012, 12. dicitur hoc:

— (*οὐδὲ γὰρ ὑμῶν τοὺς πολλοὺς λελήθασιν ὃν τρόπον οὗτοι γεγόνασιν*) —

Hic Schaef. *οὗτοι* aut omittendum aut post *λελήθασιν* collocandum esse dicit. Insolens sane est haec pronominis collocatio, sed non damnanda. V. or. I. contra Aristogit. §. 41. p. 782, 17. *οὐδὲν χρήσιμός ἐστιν ὧν φησίν, ἀλλ᾽ οὗτος πρᾶγμ᾽ ἑώρακε μιαρὸν καὶ ἀναιδές,* ubi Reisk. scripserat *οὕτως*. Plane similis est pronominis personalis collocatio in or. adv. Timocr. §. 107. p. 733, 25: *καίτοι τίνα ἂν ἀξίαν δοίης δίκην ἢ τί σὺ παθὼν ἂν τὰ προςήκοντα εἴης πεπονθώς* etc. v. ibi librariorum turbas et Schaeferum. Neque alienum est conferre or. in Mid. §. 12. extr. pag. 518, 26. *ἓν γὰρ οὐδέν ἐστιν ἐφ᾽ ᾧ τῶν πεπραγμένων οὐ δίκαιος ὢν ἀπολωλέναι φανήσεται.*

Id addere liceat, hoc pronomen demonstr., quum graviter anteponendum esset, negligentius in media oratione esse positum, ut or. in Timocr. §. 128. p. 740. fin. *Καὶ ὁ ἀπὸ μὲν τῶν ὑμετέρων παίδων καὶ γυναικῶν καὶ τῶν ἄλλων χρημάτων, ὅσα λάβοι, δεκάτας ἐκεῖ τῷ ἁρμοστῇ κατατιθεὶς τούτων ἀκριβῶς* etc. Adv. Apatur. §. 4. p. 893, 19. *ὡς τοίνυν παρὰ τοὺς νόμους τούτους εἴληχέ μοι τὴν δίκην Ἀπατούριος καὶ τὰ ψευδῆ ἐγκέκληκεν, ἐκ πολλῶν ὑμῖν τοῦτ᾽ ἐπιδείξω.* Adv. Phaenipp. §. 15. p. 1043, 16. *χρὴ δ᾽ ὦ ἄνδρες δικασταὶ μὴ τοῖς ἰσχυροτέραν νομίζουσι τῶν νόμων τὴν αὑτῶν βδελυρίαν εἶναι, πλέον τούτοις τοῦ δικαίου νέμειν.*

Denique ut in illis locis pronomen demonstrativum in altero orationis membro, non in priore est positum, sic etiam alia verba collocantur. V. Herm. ad Soph. Oed. Col. 741., ubi haec poëta dicit:

οὐκ ἐξ ἑνὸς στείλαντος, ἀλλ᾽ ἀνδρῶν ὕπο
πάντων κελευσθεὶς etc.

cfr. Aeschyl. Agam. 589. *ἅλωσιν Ἰλίου τ᾽ ἀνάστασιν.* et v. Fritzsch. quaest. Lucian. p. 7. Iam vide an non eodem modo explicandi sint hi loci Demosthenis: or. in Aristocr. §. 15. p. 625, 13. *εἰς φόβον καὶ συκοφαντίας εὐλαβείαν,* ubi Schaeferus praefert, quod ante Reisk. legebatur „*εἰς φόβον συκοφ. καὶ εὐλ.*“ Ibid. §. 201. p. 687, 21. *τὰς τιμὰς καὶ τὰς παρ᾽ ὑμῶν δωρεάς.* Orat. in Timocr. §. 52. pag. 717, 3. *τὸ δεῖσθαι καὶ μετὰ συμφορᾶς ἱκετεύειν.*

Eiusdem or. de Halon. §. 20. p. 81, 19.

Καὶ οἱ μὲν πρέσβεις αὐτοὶ, ὧν κατεψεύδετο τὸ ψήφισμα, ὅτ᾽ ἀπεκρίνεσθε αὐτοῖς ἀναγιγνώσκοντες καὶ ἐπὶ ξενίαν αὐτοὺς ἐκαλεῖτε, οὐκ ἐτόλμησαν παρελθεῖν etc.

Haec plerorumque librorum scriptura est, Aug. I. et Y. *ξένια,* *ξενίᾳ* cod. *F* Bekk., Bavaric. (qui ubique fere consentiunt), cod. L., Aldina Taylori, index Aldi et Felic. habent. Ac vix unus est locus, ubi in hac formula dicendi *ἐπὶ ξενίαν καλεῖν* vel *δέχεσθαι* illa varietas non reperiatur. Sed iis in locis, qualis est Xen. Hellen. VII, 2, 3. *βοῦν ξένια ἔπεμψαν,* et Lysiae p. 606, 3. Reisk. *ξένια οὐκ ἤθελε λαβεῖν* et Demosthenis or. de f. leg. §. 166. p. 393, 19. ubi de lautiis, quae Romani dicunt, sermo est, *ξένια* tantum dici posse non est dubium. V. de hoc more legatis hospitalia tribuendi Pollux VIII, 138. IX, 40. Sigon. de rep. Ath. IV, 6. Boeckh. Oeconom. polit. Ath. I. p. 255.; de formula autem illa Dorvill. ad Chariton. p. 466. Hutchinson. ad Xen. Anab. VI, 1, 2. Jacobs. Anthol. X, 142. Wesseling. ad Diodor. XIII, 80.

H. Stephanus in thesauro ubique aut *ἐπὶ ξενίαν* aut *ἐπὶ ξένια* legendum, reiiciendum esse censet *ἐπὶ ξενίᾳ*. At hoc dici posse non dubium. Xen. Anab. V, 9, 3. *ἐπὶ ξενίᾳ δὲ ἐδέχοντο αὐτούς.* Pollux VIII, 138. *εἰς τὸ πρυτανεῖον ἐπὶ ξενίᾳ ἐκαλοῦντο* sc. *οἱ πρέσβεις.* Apud Herodot. plurima reperiri possunt exempla, quanquam codd. scriptura variat, v. Gaisford. ad lib. II, 107. IV, 154. V, 18. VI, 34. IX, 88. qui ubique *ξείνια* recepit; Wesseling. in Herod. V, 18. *ἐπὶ ξεινίᾳ* scribit. Apud Iacobs. Anthol. l. l. *ἐπὶ*

ξενίαν κληθείς, quo cum loco conferas hunc orationis de Halon., quem tractamus. Quaeque igitur harum formularum codicum auctoritate nititur. Iam si quaeris, quaenam sit cuiusque vis, id apparebit, ἐπὶ ξένια καλεῖν τινα significare „aliquem invitare, ut accipiat ea, quae hospiti dare par est" (quae qualia fuerint, v. apud Boeckh. l. l.), ἐπὶ ξενίᾳ „ut fruatur hospitio", ἐπὶ ξενίαν denique „invitare aut ad hospitium aliquem, quocum velis amicitiam facere, aut ad coenam hospitalem vocare (ἐπὶ ξενίαν τράπεζαν, ut Homer. Odyss. XIV, 158. dicit „ἴστω νῦν Ζεὺς πρῶτα θεῶν ξενίη τε τράπεζα).

Errare autem videntur Perizon. ad Aelian. var. hist. III, 37. et Hutchinson. ad Anabas. l. l. in formula καλεῖν ἐπὶ ξενίᾳ supplentes τραπέζῃ. Neque audiendus est Schaeferus, qui ad Libanii argument. Olynth. III. p. 27, 4. ubi nonnulli libri habent „παρακαλοῦσιν ἐπὶ τιμωρίᾳ" haec adscripsit: „τιμωρίᾳ non magis probandum, quam in simili locutione ξενίᾳ pro ξενίαν s. ξένια." Recte hoc dici posse demonstrat praepositionis ἐπί usus. Ut enim Xen. de re venat. 6, 5. ἐπὶ θήρᾳ ἐξιέναι i. e. ut veneris, Memorab. I, 3, 5. ἐπὶ τούτῳ (τῷ σίτῳ) οὕτω παρεσκευασμένος ἥκει i. e. ut cibo frueretur, cum ἐπὶ θήραν vel σῖτον ἰέναι plane nostro „zur Jagd, nach Speise gehen" respondeat et longe alio sensu dictum esse appareat: ita porro aliquis potest vocari ἐπὶ δεῖπνον, etiamsi non est conviva, ut citharista, sed καλεῖται ἐπὶ δείπνῳ is tantum, qui conviva est. Ita igitur ἐπί c. dativo significat illud ipsum, propter quod aliud fit.

Deinde notandum est, quod res ipsa docet, dici non posse δέχεσθαι ἐπὶ ξένια, sed aut ξενίαν aut ξενίᾳ: locus enim, quem Hutchinson. l. l. attulit ex Hellen. VI, 4, 20. nunc, uti debuit, est emendatus.

Denique ut ad illum locum, propter quem haec explicuimus, revertamur, Weiskium sine iure iussisse elucet legi ἐπὶ ξένια, ut in Aeschin. de f. leg. 326 et p. 223. Nam ita dicendum esse hoc loco, quia alibi ita dicatur, falsissimum est praeceptum; modo ne res ipsa per se sit improbanda.

Eiusd. or. §. 21. p. 82, 2.

— ἀποδεχόμενοι [τοὺς λόγους] τῶν συκοφαντούντων etc.

Bekkerus propter unum cod. Σ, in quo τοὺς λόγους omissum, uncis id inclusit. Et sane admodum est suspectum, si quidem unde sit ortum facile perspici poterit; vide sequentia et §. 23. Egit de verbo ἀποδέχεσθαι Heindorf. ad Plat. Phaedon. p. 157. Integram eius verbi structuram legimus in or. adv. Androt. §. 19. pag. 599, 10. et adv. Aphob. I. §. 59. p. 832, 15. Absolute positum est in or. advers. Dionysod. §. 31. p. 1292, 9. μὴ οὖν ἀποδέχεσθε τούτου φενακίζοντος ὑμᾶς etc. Sed plane cum illo loco orat. de Halon. conferri potest alius or. de foedere cum Alexandro init., p. 211. ἄξιον ἀποδέχεσθαι — σφόδρα τῶν τοῖς ὅρκοις καὶ ταῖς συνθήκαις διακελευομένων ἐμμένειν, ubi v. interpretes. In his locis autem genitiv. particip. non ab ἀποδέχεσθαι pendere monet Hermannus, sed particip. bis esse cogitandum, ut in hoc extremo loco „τῶν — διακελευομένων ἐμμένειν διακελευομένων," quae explicatio ut refutari possit, exemplis opus est, in quibus simplex nominis genitivus iunctus est illi verbo.

Or. de Cherson. §. 5. p. 91, 7. R.

Ἔστι δέ, εἰ μὲν ἡσυχίαν Φίλιππος ἄγει καὶ μήτε τῶν ἡμετέρων ἔχει παρὰ τὴν εἰρήνην μηδὲν μήτε συσκευάζεται πάντας ἀνθρώπους ἐφ' ἡμᾶς, οὐδὲν δεῖ λέγειν, ἀλλ' ἁπλῶς εἰρήνην ἀκτέον etc.

Initium huius sententiae quomodo esset explicandum, vehementer haeserunt dubii interpretes. Hieron. Wolfius haec dicit: „ἔστι δὲ sc. τὴν εἰρήνην ἁπλῶς ἄγειν, οὐδὲν δεῖ λέγειν est asyndeton; alioquin verba „ἔστι δὲ" et „οὐδὲν δεῖ λέγειν" ἀνακολούθως coniungenda sunt, nisi legas: „εἰ μὲν γὰρ ἡσυχίαν etc." At si cum Wolfio ἔστι δὲ ad seqq. refers, tautologiam habemus; sequuntur enim verba ἁπλῶς εἰρήν. ἀκτέον, quae illam sententiam fortius etiam exprimunt. Praeterea offendit etiam asyndeton „οὐδὲν δεῖ λέγειν", cum sequentia habeant particulam ἀλλά. Reiskius

igitur ad *ἔστι δὲ* deesse censet, „*τἀληθὲς οὕτως.*“ Hanc explicationem proferunt etiam Vig. p. 237, not. 5. et Schaeferus, nihil tamen hic monens deesse, sed in ipsis verbis illud inesse, quod desideret Reiskius. Assentitur Schaefero Bremius in editione sua. At unicum verbi *εἶναι* sic nude positi exemplum adest. Denique Car. Foertsch. comment. crit. etc. p. 54. hunc locum tetigit, Schaeferi explicationem probari posse negans; ipse *ἔστι* cohaerere censet cum seqq.: *ἁπλῶς εἰρήνην ἀκτέον*, et orationem interruptam esse verbis „*οὐδὲν δεῖ λέγειν ἀλλά.*“ Mihi quidem simplicissimum videtur esse hoc, ut oratorem inceptae structurae propter intercapedinem verborum oblitum esse statuamus; *ἔστι δὲ* igitur cum praecedat, adiectivo verbali pergere debuit orator, sed posuit *δεῖ*, ut quod eandem habeat notionem: deinde vero ad priorem structuram redit. Vides me denique idem velle quod Foertschio placet.

Haud rarae autem sunt in adi. verbali anacoluthiae, quanquam quo illam probem non habeo locum. Inversa ratione dicit Plat. Crit. c. 12. Buttm. *ἀλλὰ καὶ ἐν πολέμῳ - καὶ πανταχοῦ ποιητέον ἃ ἂν κελεύῃ ἡ πόλις καὶ ἡ πατρὶς ἢ πείθειν αὐτὴν ᾗ τὸ δίκαιον πέφυκεν.* Cfr. etiam Xen. Memor. I., 5, 5.

Schaeferi sententiae favere videtur locus Platonis in Menone, c. 9. e. Buttm., ubi haec Socrates dicit: *Τραγικὴ γάρ ἐστιν, ὦ Μένων, ἡ ἀπόκρισις, ὥςτε ἀρέσκει σοι μᾶλλον ἢ ἡ περὶ τοῦ σχήματος. ΜΕΝ. Ἔμοιγε. ΣΩ. ἀλλ' οὐκ ἔστιν, — ὡς ἐγὼ ἐμαυτὸν πείθω, ἀλλ' ἐκείνη βελτίων.* Schaeferus explicaret fortasse „sed res ita se non habet.“ Buttm. per anacoluthiam referri vult *ἔστιν* ad superius *ἀρέσκει σοι μᾶλλον*, in quo inesse dicit „*δοκεῖ σοι βελτίων.*“ Sed simplicissimum videtur locum explicare ita „*ἀλλ' οὐκ ἔστιν βελτίων, ἀλλ' ἐκείνη βελτίων*“, ut negatio *οὐκ* ictu notetur. Quanquam autem oppositio est inter diversas res (inter illam priorem *ἀπόκρισιν* et alteram), tamen non requiri videtur, quod Buttm. censet „*ἀλλ' οὐχ αὕτη.*“ V. Soph. Ant. 83. ubi Ismenae querenti

οἴμοι ταλαίνης, ὡς ὑπερδέδοικά σου

respondet Antigona

μή μου προτάρβει· τὸν σὸν ἔξόρθου πότμον.

Cfr. ibid. Herm. et vers. 828. coll. Hom. Il. XI, 131. Odyss. I, 18. Dem. or. de Cor. §. 265. et Schmid. ad Horatii Epist. I. 14, 40. Quomodo id fieri possit, planum est. Ubi prior ponitur enuntiatio, nondum oppositionis vis animo dicentis aut scribentis obversatur: tum accedit sententia priori opposita, ad quam illa prior repetenda quasi est. Sic in illo Soph. loco Antigona Ismenae verba respiciens dicit: „*μή μου προτάρβει*“, sine ulla vi se ipsam commemorans ideoque *μου* dicens; deinde addit „tui potius curam geras, minime autem mei.“

Ibid. §. 59. p. 104, 9. R.

Ἐκεῖνος μὲν γὰρ οὐ πολεμεῖν ἡμῖν, ὥςπερ οὐδ' Ὠρείταις τῶν στρατιωτῶν ὄντων ἐν τῇ χώρᾳ, οὐδὲ Φεραίοις πρότερον πρὶν ἢ πρὸς τὰ τείχη προςβαλεῖν αὐτῶν, οὐδ' Ὀλυνθίοις ἐξ ἀρχῆς, ἕως ἐν αὐτῇ τῇ χώρᾳ τὸ στράτευμα παρῆν ἔχων.

Reprehendit orator cives quod, quamvis hostilem Philippus ostendat animum, prae nimia tamen socordia non animadvertant aut animadvertere nolint contra rempublicam res agi: nam non esse exspectandum dum Phil. indicet bellum, imo statim eum urbem invasurum esse, sicut reliquis urbibus Graecorum fecerit.

Sed suspicio mihi orta est de veritate vulgatae scripturae. Codex enim optimus Σ haec praebet „*οὐδὲ Φεραίοις πρότερον πρὸς τὰ τείχη προςβάλλων.* Accedit, quod Sopater ad Hermog. p. 312., quem laudat Reiskius, eodem plane modo haec verba affert. Denique in phil. IV. §. 61. p. 147, 21. in quam iste locus transscriptus est, eadem est varietas scripturae. Quare hanc veram scripturam esse vehementer suspicor: „*οὐδὲ Φεραίοις πρότερον πρὸς τὰ τείχη προςβαλών.*“

Gravior autem tum fit oratio: Philippum enim nullo antea bello indicato arma intulisse et cepisse illas urbes apparet; quid? quod adeo amicitiam simulans eas oppressit, quod Dem. phil. III. §. 12. p. 113, 21. diserte dicit.

Nunc iusto ordine et quidem, ut phil. III. l. l. ostendit, inverso Demosthenem singulas res commemorare videmus. Nam bellum Olynthiacum Ol. 107, 4. exortum est, Ol. 108, 1. capta est

illa urbs. Ol. 109, 3. orationem de Cherson. peroravit Demosthenes; non multo ante Philippus Oreum ceperat (v. eius or. §. 18. p. 94, 13.), Pheras autem post Olynthum, Oreo nondum occupata, subegit, uti e nostro loco et phil. III. l. c. concludere licet. In orat. de Halon., quae Ol. 109, 2. cum Philippus legatos propter hanc insulam Athenas misisset, habita est, Demosthenes vel quicunque eam fecit, de Pheris iam captis dicit §. 32. p. 84, 19. Hunc igitur rerum ordinem etiam verbis significat orator (cfr. or. pro Megalopolit. §. 14. p. 205, 24.). Quanquam enim oratores non historicos esse bene scio, ita tamen deinceps res, uti revera acciderunt, enarrari praestat. Quare optimo illi codici Bekk. obsequendum esse duxi.

Oratio phil. IV. p. 135, 11. §. 15.

πρῶτον μὲν τοῦτο δεῖ etc.

Vulgata i. e. editio Paris. habet „*τούτου δεῖ χάριν*“, alii codd. aut „*διὰ τοῦτο δεῖ*“ aut vulgatam scripturam, Bavaricus Reiskii et codd. *FΣ* Bkk. „*τοῦτο δεῖ.*“ Vulgatam secutus est Augerius, Reisk. recepit Bavarici scripturam intellecto ad *τοῦτο δεῖ* infin. *ποιεῖν* sive *ὑπολαμβάνειν*. Schaeferus aut *τούτου δεῖ χάριν*, aut quod malle se dicit, *διὰ τοῦτο δεῖ* scribendum censet. Bekk. ut vides librorum optimorum dedit scripturam, sed eum talem ellipsin, qualem R. voluit, statuisse vix crediderim. Apud poetas absolute poni *δεῖ* satis constat, ut Eur. Supplic. 596. Cfr. Heind. ad Plat. Soph. §. 50. Gorg. §. 102. — Sed confer etiam in eadem orat. §. 31. p. 139, 16. *ὃ δὴ λοιπόν ἐστι καὶ πάλαι μὲν ἔδει, διαφεύγει δ' οὐδὲ νῦν*. Eodem modo intelligenda sunt verba phil. III. §. 11. p. 113, 12. *εἶπεν, ὅτι δεῖ δυοῖν θάτερον*, ubi Bremius supplet *γενέσθαι*, Schaefer. nominativos absolutos statuit hancque dicendi formam de numero earum esse contendit, quae reliquae orationi sic interserantur, ut careant nexu syntactico; orationem enim ita esse solvendam: *ὅτι δεῖ, δυοῖν θάτερον, ἢ* —. Equidem simplicissimum semper putavi ea verba ita iungenda esse, ut revera sint nominativi a *δεῖ* pendentes. Sic Dem.

or. de Cor. §. 139. s. fin. p. 274, 10. *καίτοι δυοῖν αὐτὸν ἀνάγκη θάτερον ἢ μηδὲν τοῖς πραττομένοις ὑπ' ἐμοῦ τότ' ἔχοντ' ἐγκαλεῖν μὴ γράφειν παρὰ ταῦθ' ἕτερα ἢ* etc. Hic R. et Bremius *ποιεῖν* supplent. At apparet hoc recte dici: *δυοῖν θάτερον ἀνάγκη, αὐτὸν ἢ* etc.

Hanc eius dicendi formulae originem esse duco, sed multo denique usu illa orta esse videtur eius structura, quae Schaefero placuit. Certe in eius sententiam explicari possit locus Dinarchi or. I. §. 10. Bkk. *δυοῖν γὰρ θάτερον ἐχρῆν αὐτοὺς ἢ — ζητεῖν — ἢ - μὴ προςδέχεσθαι.* Sed hic quoque dubitare licet de hac explicatione. Nam quod ex optimis libris edidit Bekk. in (Dem.) orat. amator. §. 9. p. 1404. init. *Καίτοι τί χρὴ τὸν τῶν μεγίστων ἐπαίνων ἄξιον; οὐχ ὑπὸ μὲν τῶν θεῶν ἠγαπημένον φαίνεσθαι* etc. plane cum illo Dinarchi loco potest comparari. Quare ego hanc verbi *χρὴ* structuram potius e negligentia quadam in dicendo ortam esse quam Schaeferi sententiam probandam esse crediderim.

Addo denique hoc. Cum *ἔνεστιν* plerumque impersonaliter usurpetur, tamen Dem. phil. I. §. 41. p. 52, 7. dicit: *ταῦτα δ' ἴσως πρότερον μὲν ἦν*, uti Bekk. ex optimo codice, cui Aug. I. accedit, edidit. Or. in Mid. §. 41. p. 527, 12. (edit. Buttm. c. 12. a.) *οὐκ ἐνέσται αὐτῷ λόγος οὐδὲ εἷς*. Cfr. ibi Schaefer. et Buttm. Addend. p. 160. qui affert Eur. Iph. T. 998. sed cum dubitet, num prosae orationis scriptores ita dicere potuerint, affero locum Demosthenis minime dubium, or. contra Aristocr. §. 101. p. 654, 7. *τούτῳ τοίνυν οὐδ' οὗτος ἐνέσται πρὸς ὑμᾶς ὁ λόγος.* Praeterea vide or. de f. leg. p. 374, 2. §. 102. extrem. *οὐκ ἔνεστι τούτων οὐδὲ ἓν χωρίς*, quem locum optime explicat Sch. — Denique de verbo *μέλει* v. Dindorf. praef. ad Dem. p. XIII. et Schaef. ad Dem. p. 1062, 12.

Eiusd. or. §. 20. p. 136, 28.

Ὅτῳ παραδώσετε τὰ πράγματα, ζητεῖτε, δυςχεραίνετε.

Aug. I. plane omittit *ζητεῖτε*, codd. *ΣΥ* in margine habent recenti manu adscriptum. Reisk. abiiciendum dicit illud vocabulum,

Bekk. uncis inclusit, quos Schaef. quantocius amovendos esse monet. Sed tres optimos codices *ζητεῖτε* omittere suspicionem movet permagnam. Nam cum codex Y raro consentiat cum Σ, ubi consentiant, magni eorum scripturam esse momenti rectissime praecipit Engelhardt. (adnot. crit. in Dem. etc. p. 9.). Reisk. omittendi illius verbi causam habuit non aliam quam August. I. auctoritatem: quomodo in textum irrepserit *ζητεῖτε*, divinasse non videtur. Amat enim vehementer Demosth. constructiones quas appellant *κατὰ τὸ νοούμενον*. Quidni oratoris imitator, qui hanc orationem conscripsit, etiam illum usum imitari potuerit? Atque hoc eum fecisse ex optimorum codd. illorum scriptura satis elucet. Male explicuit locum Reisk. ita: „cuicunque rempublicam vestram commiseritis, is parum vobis satisfacit.“ Imo hoc dicitur: Rixas facitis atque calumniamini vos invicem, cui rempublicam administrandam tradatis. Illud ipsum igitur, quod librarii expresserunt illo verbo *ζητεῖτε*, inest quodammodo in notione verbi *δυςχεραίνετε*.

Atque tales constructiones interdum a librariis esse mutatas, testimonio sit locus orat. de symmor. §. 2. p. 178, 17. *εἰ δὲ παρελθὼν εἷς ὁςτιςοῦν δύναιτο διδάξαι καὶ πεῖσαι τίς παρασκευὴ — χρήσιμος ἔσται τῇ πόλει* etc., quae verba in prooemiis, quae vulgo Demostheni tribuuntur, p. 1423, 17. recurrunt. Hic quod nonnulli libri pro *πεῖσαι* habent *φράσαι*, placet Schaefero, mihi quam maxime displicet. Nam quod Schaefer. dicit sequentia *τίς* et *πόση* et *πόθεν* parum congruere videri cum vulgata, id ipsum vereor ne librarios ad mutandam vulg. moverit. Quid enim? si *πεῖσαι* explicas „*πείθων δεῖξαι*“, omnia rectissime procedunt. Eodem modo Foertsch. errasse videtur, qui in comment. crit. p. 55. ad eos locos, in quibus non ad proximum quodque referenda sint reliqua, sed constructio quasi sit interrupta, etiam hunc refert or. de Chers. §. 30. p. 97, 15. — *εὐθέως φατὲ καὶ θορυβεῖτε, ὡς ὀρθῶς λέγει*: nam *ὡς* ad *φατὲ* referendum, verba „*καὶ θορυβεῖτε*“ *παρενθετικῶς* intelligenda esse. Ego dissentio. *φάναι* enim per se significat „assentiri, probare alicuius verba“, v. §. 32. eiusd. orationis. Jam vero si Foertsch. in phil. II. §. 26. p. 72, 5. *ταῦτ᾽ ἀκούσαντες καὶ θορυβοῦντες, ὡς ὀρθῶς λέγεται* legisset, *θορυβεῖν* „cum tumultu assensum indicare“ posse significare intel-

lexisset. Denique huc pertinere arbitror or. adv. Dionysodor. p. 1290, 16. §. 24. *ὧν μέντοι αὐτοὶ ἦσαν κύριοι, οὐ ταῦτ᾽ ἀπέστελλον πάντα δεῦρο, ἀλλ᾽ ἐκλεγόμενοι τίνων αἱ τιμαὶ ἐπετέταντο*. Reisk. ad h. l. dicit: „*ἐκλεγόμενοι, τίνων*. — Idem est ac si dixisset: *ἐκλεγ. ἔνια, ὧν* —.“ Schaeferus: „Fort. *ἐκλεγόμενοι, εἴ τινων* —.“ Neutrum verum. Quoniam in verbo *ἐκλέγεσθαι*, quod ipsa rei natura docet, investigandi et considerandi notio est, recte potest sequi *τίνων*.

Alia huius constructionis haec sunto: or. de Halon. §. 3. p. 77, 12. *τοῦτον δὲ τὸν λόγον, ὡς οὐκ ἔστι δίκαιος, οὐ χαλεπόν ἐστιν αὐτοῦ ἀφελέσθαι*, v. ibi Reiskius. Or. de symmor. p. 185, 5. §. 25. — *φοβοῖεν, ὡς ἥξει βασιλεύς*. v. Schaefer ad h. l. Praeterea cf. interpretes ad Dem. p. 237, 25. 249, 25. 347, 28.

Eiusd. or. §. 73. p. 151. init.

Σοὶ μὲν γὰρ ἦν κλέπτης ὁ πατήρ, εἴπερ ἦν ὅμοιός σοι, τῇ πόλει δ᾽ ἡμῶν, ὡς πάντες ἴσασιν, οἱ Ἕλληνες δὶς ἐκ τῶν μεγίστων κινδύνων ὑπὸ τῶν προγόνων σεσωσμένοι.

Primum breviter moneo errare Schaeferum, cum scribendum censet *ὅμοιος σοί*. Nam non pronomen accentu debet notari, sed *ὅμοιος* ut quod rei summam contineat*).

Deinde interpretes iustam sententiarum oppositionem deside-

*) Schaeferus pluries hac in re errasse videtur, ut or. de Cor. p. 242, 20. §. 51. *καὶ νῦν εἰπέ* (sc. *Αἰσχίνης*) *που λέγων* „*ὁ τὴν Ἀλεξάνδρου ξενίαν ὀνειδίζων ἐμοί*.“ *ἐγώ σοι ξενίαν Ἀλεξάνδρου*; et lin. 22. *οὔτε Φιλίππου ξένον οὔτ᾽ Ἀλεξάνδρου φίλον εἴποιμ᾽ ἂν ἐγώ σε*. Utrobique Schaeferus scripsit: *ἐγὼ σοὶ, ἐγὼ σέ*. At *φιλίαν* et *φίλον* rei momentum continent, quanquam in priori loco praecedit *ἐμοί*. Adv. Androt. p. 603. fin. §. 34. item scribit Schaeferus: *κληρονόμον γὰρ σὲ καθίστησιν ὁ νόμος τῆς ἀτιμίας τῆς τοῦ πατρὸς*. Bekk. rectissime cum Reiskio dedit: *γάρ σε*. Denique orat. de fals. leg. §. 189. p. 400, 12. Schaef. errat, verba *ἐγὼ δ᾽ οὐδὲ συμπεπρεσβευκέναι φημί σοι* etc. ita scribens: *φημὶ σοὶ*. At *συμπεπρεσβευκέναι* accentu notandum.

Bekk. uncis inclusit, quos Schaef. quantocius amovendos esse monet. Sed tres optimos codices ζητεῖτε omittere suspicionem movet permagnam. Nam cum codex Y raro consentiat cum Σ, ubi consentiant, magni eorum scripturam esse momenti rectissime praecipit Engelhardt. (adnot. crit. in Dem. etc. p. 9.). Reisk. omittendi illius verbi causam habuit non aliam quam August. I. auctoritatem: quomodo in textum irrepserit ζητεῖτε, divinasse non videtur. Amat enim vehementer Demosth. constructiones quas appellant κατὰ τὸ νοούμενον. Quidni oratoris imitator, qui hanc orationem conscripsit, etiam illum usum imitari potuerit? Atque hoc eum fecisse ex optimorum codd. illorum scriptura satis elucet. Male explicuit locum Reisk. ita: „cuicunque rempublicam vestram commiseritis, is parum vobis satisfacit.“ Imo hoc dicitur: Rixas facitis atque calumniamini vos invicem, cui rempublicam administrandam tradatis. Illud ipsum igitur, quod librarii expresserunt illo verbo ζητεῖτε, inest quodammodo in notione verbi δυςχεραίνετε.

Atque tales constructiones interdum a librariis esse mutatas, testimonio sit locus orat. de symmor. §. 2. p. 178, 17. εἰ δὲ παρελθὼν εἷς ὁςτιςοῦν δύναιτο διδάξαι καὶ πεῖσαι τίς παρασκευὴ — χρήσιμος ἔσται τῇ πόλει etc., quae verba in prooemiis, quae vulgo Demostheni tribuuntur, p. 1423, 17. recurrunt. Hic quod nonnulli libri pro πεῖσαι habent φράσαι, placet Schaefero, mihi quam maxime displicet. Nam quod Schaefer. dicit sequentia τίς et πόση et πόθεν parum congruere videri cum vulgata, id ipsum vereor ne librarios ad mutandam vulg. moverit. Quid enim? si πεῖσαι explicas „πείθων δεῖξαι“, omnia rectissime procedunt. Eodem modo Foertsch. errasse videtur, qui in comment. crit. p. 55. ad eos locos, in quibus non ad proximum quodque referenda sint reliqua, sed constructio quasi sit interrupta, etiam hunc refert or. de Chers. §. 30. p. 97, 15. — εὐθέως φατὲ καὶ θορυβεῖτε, ὡς ὀρθῶς λέγει: nam ὡς ad φατὲ referendum, verba „καὶ θορυβεῖτε“ παρενθετικῶς intelligenda esse. Ego dissentio. φάναι enim per se significat „assentiri, probare alicuius verba“, v. §. 32. eiusd. orationis. Jam vero si Foertsch. in phil. II. §. 26. p. 72, 5. ταῦτ' ἀκούσαντες καὶ θορυβοῦντες, ὡς ὀρθῶς λέγεται legisset, θορυβεῖν „cum tumultu assensum indicare“ posse significare intel-

lexisset. Denique huc pertinere arbitror or. adv. Dionysodor. p. 1290, 16. §. 24. ὧν μέντοι αὐτοὶ ἦσαν κύριοι, οὐ ταῦτ' ἀπέστελλον πάντα δεῦρο, ἀλλ' ἐκλεγόμενοι τίνων αἱ τιμαὶ ἐπετέταντο. Reisk. ad h. l. dicit: „ἐκλεγόμενοι, τίνων. — Idem est ac si dixisset: ἐκλεγ. ἔνια, ὧν —.“ Schaeferus: „Fort. ἐκλεγόμενοι, εἴ τινων —.“ Neutrum verum. Quoniam in verbo ἐκλέγεσθαι, quod ipsa rei natura docet, investigandi et considerandi notio est, recte potest sequi τίνων.

Alia huius constructionis haec sunto: or. de Halon. §. 3. p. 77, 12. τοῦτον δὲ τὸν λόγον, ὡς οὐκ ἔστι δίκαιος, οὐ χαλεπόν ἐστιν αὐτοῦ ἀφελέσθαι, v. ibi Reiskius. Or. de symmor. p. 185, 5. §. 25. — φοβοῖεν, ὡς ἥξει βασιλεύς. v. Schaefer ad h. l. Praeterea cf. interpretes ad Dem. p. 237, 25. 249, 25. 347, 28.

Eiusd. or. §. 73. p. 151. init.

Σοὶ μὲν γὰρ ἦν κλέπτης ὁ πατήρ, εἴπερ ἦν ὅμοιός σοι, τῇ πόλει δ' ἡμῶν, ὡς πάντες ἴσασιν, οἱ Ἕλληνες δὶς ἐκ τῶν μεγίστων κινδύνων ὑπὸ τῶν προγόνων σεσωσμένοι.

Primum breviter moneo errare Schaeferum, cum scribendum censet ὅμοιος σοί. Nam non pronomen accentu debet notari, sed ὅμοιος ut quod rei summam contineat*).

Deinde interpretes iustam sententiarum oppositionem deside-

*) Schaeferus pluries hac in re errasse videtur, ut or. de Cor. p. 242, 20. §. 51. καὶ νῦν εἰπέ (sc. Αἰσχίνης) που λέγων „ὁ τὴν Ἀλεξάνδρου ξενίαν ὀνειδίζων ἐμοί.“ ἐγώ σοι ξενίαν Ἀλεξάνδρου; et lin. 22. οὔτε Φιλίππου ξένον οὔτ' Ἀλεξάνδρου φίλον εἴποιμ' ἂν ἐγώ σε. Utrobique Schaeferus scripsit: ἐγὼ σοὶ, ἐγὼ σέ. At φιλίαν et φίλον rei momentum continent, quanquam in priori loco praecedit ἐμοί. Adv. Androt. p. 603. fin. §. 34. item scribit Schaeferus: κληρονόμον γὰρ σὲ καθίστησιν ὁ νόμος τῆς ἀτιμίας τῆς τοῦ πατρὸς. Bekk. rectissime cum Reiskio dedit: γάρ σε. Denique orat. de fals. leg. §. 189. p. 400, 12. Schaef. errat, verba ἐγὰ δ' οὐδὲ συμπεπρεσβευκέναι φημί σοι etc. ita scribens: φημὶ σοὶ. At συμπεπρεσβευκέναι accentu notandum.

rant: sequi enim opus esse tale quid „*τῇ πόλει δ' ἡμῶν τοιοῦτοι, οἳ — σεσώκασιν.*" Reliquorum interpretum rationem locum explicandi commemorare non libet. Schaeferus ita scribi vult: *οὓς πάντες ἴσασιν οἱ Ἕλληνες.* Sed primum nescio num dici possit *τῇ πόλει ἦσαν πατέρες* de maioribus; deinde offendunt me verba *ὑπὸ τῶν προγόνων,* cum dicendum esset *ὑπ' αὐτῶν.* Recte omnino vulgata scriptura recepta est a Bekkero. Nam magnum est discrimen inter oppositionem verborum et oppositionem sententiarum; in illa accurate sibi respondent verba, in hac maior est licentia, dummodo ipsa salva sit sententia. Dicit orator haec: „Tibi pater fuit latro, civitate nostra bis est Graecia a maioribus servata." Exspectaveras quidem haec: „civitati nostrae ii exstitere maiores, qui Graeciam bis liberaverunt," sed ea sententia aliter expressa est.

Ne quis autem offendat in verbis *τῇ πόλει — ὑπὸ τῶν προγόνων,* conferat or. XI. §. 7. p. 154, 10. R. *ὅταν δ' ἐξ ἐπιβουλῆς καὶ πλεονεξίας ἀπάτῃ καὶ βίᾳ κατέχηται τὰ πράγματα.* Or. XVI. §. 19. p. 207, 1. *ἀλλὰ μὴν ἅ γέ φασι πεπρᾶχθαι διὰ Θηβαίους τοῖς Μεγαλοπολίταις ὑπεναντία πρὸς ἡμᾶς.* Tacit. Agric. XII. *per principes partibus ac studiis trahuntur.* Sallust. b. Catil. c. VII. *Iam primum iuventus — in castris per laborem usu militiam discebat.*

Epistola Philippi.

De hac epistola pauca sufficiant. Tayloro iam spuria visa est et profecto ipsa longitudo eius a Philippi indole satis nobis ex aliis quas in oratt. Dem. servatas habemus epistolis nota admodum abhorrens, cum Macedonem brevi, sed simplici atque virili usum esse sciamus oratione, suspicionem movet eam a sophista vel declamatore accepisse originem, quae quidem suspicio augetur etiam, si in singulis argumentis exponendis, quam tota haec epistola redolet, subtilitatem cognoveris. Accedit, quod non pauca in ea reperimus cadentis graecitatis specimina. Ita §. 4. p. 159, 22. *ὑπομνήματα δὲ τῆς ἀδικίας στῆσαι ἀνδριάντα πρὸ τῶν Πυλῶν* legimus. Iam cum de uno tantum monumento sermo sit, Reisk. et Bekk. *ὑπόμνημα* posuerunt. Sed docet Schaeferus scriptores aetatis posterioris ad exemplum poetarum plurali saepe pro singulari usos esse.

§. 7. p. 160, 13. offendit interpretes vox *ἐπισυμμαχία.* Equidem non ausim hoc quanquam insolens verbum in hac epistola damnare praesertim apte compositum et facile explicatu. Deinde §. 18. p. 163, 22. positum est *διότι* pro simplici *ὅτι* et §. 23. p. 165, 11. *οὐθὲν,* quod nonnulli codd. Bekk. et Anecd. p. 120, 12. praebent. Aliud est, quod §. 14. p. 162, 21. legitur „— *εἰ μὲν ἐμὴ γνωσθῇ* —", quod Schaeferum ita offendit, ut *ἐὰν* requirat. Facile locum defendere possis, si ad usum scriptorum recentiorum provoces. Sed eo non opus. Nunc enim recte ibi *εἰ* cum coni. poni constat, ubi conditionis singularis vis exprimitur. Ad eos locos referri posse hunc non est dubium.

Sed sunt quaedam in ea epistola, quae diligentius consideremus, cum interpretum sententiae, quas de iis protulerunt, refutandae esse videantur.

---

§. 9. p. 161, 6.

— καὶ Σιτάλκου μὲν ἀποθανόντος, ᾧ μετέδοτε τῆς πολιτείας, εὐθὺς ποιήσασθαι πρὸς τὸν ἀποκτείναντα φιλίαν, ὑπὲρ δὲ Κερσοβλέπτου πόλεμον αἱρεῖσθαι πρὸς ἡμᾶς;

Ita libris consentientibus scriptum est. Reisk. et Auger. quanquam vulgatam tuentes dubii sunt an potius *ἀναιρεῖσθαι* sit scribendum. Schaeferus *αἵρεσθαι* mavult. Utrumque sane dici potuit, sed cur vulgatam, quam sanissimam esse docebo, mutemus? Sententia enim haec est: „Sitalca (rege Thraciae) mortuo, quem civitate donaveratis, eius interfectorem statim in amicitiam recepistis, pro Cersoblepte (qui item regulus est Thraciae) maluistis bellum facere contra me." Iam cum notio verbi *αἱρεῖσθαι* optime hic quadret, cum in eius structura usitatissima offendi nequeat, cur coniectandi cupiditati indulgeamus?

---

§. 13. p. 162, 7.

Τούτων μὲν οὐδὲν ἐπεσκήψασθε etc.

Propter accusativum cum verbo *ἐπισκήπτεσθαι* iunctum et librarii scripserunt *ἐπεσκέψασθε* et Hieronym. Wolfius *τούτοις μὲν οὐδὲν ἐπεσκήψ.* et Reiskius denique *οὐδενὶ* emendaverunt. Sed Hermannus, quem de hoc accusativo consului, nulla opus rixa esse monuit, cum accus. rei, non personae iunctus sit illi verbo.

---

§. 14. p. 162, 20. *γνοὺς ἐγὼ ταῦτα* etc.

„R. et Auger. in asyndeto offenderunt, quare ille *δὲ* aut *οὖν* addendum esse putavit, Aug. *δὲ* recepit. Schaeferus tacet. Mihi asyndeti iusta causa hoc loco esse videtur, qua de re paulo copiosius dicendum."

Haec in schedis meis adnotaveram anno MDCCCXXVIII exeunte, simulque quaenam asyndeti vis esset et quando recte eo uti posses, exposueram. Sed prodiit iam Hermanni eadem de re disputatio uberrima maximoque cum ingenii acumine composita in censura Pindari Disseniani (v. Iahni et Seebodii Annal. I. 1831. p. 54.), ita ut cum schedas istas, quas ex isto tempore seposueram, denuo perlegebam, diu haererem, num ea, quae ego scripsissem, digna essent, quae publice prodirent. Denique vicit et laetitia de iis, quae ego secundum illam Hermanni disputationem recte monuisse videor et studium quoddam ne quae semel scripsissem, delerem, nisi falsa haberem, et denique necessitas, quia cum eo loco, quem supra adtuli, asyndeton recte admissum esse contendissem, id probandum argumentis esse putavi. — Scripsi igitur haec: „Cum asyndeti ea sit vis, ut quae sententiae arcte videri possint iungendae esse, omni iunctura sint solutae et iuxta se positae altera alteram sine ullo particularum vinculo excipiant: quaeritur, quando id fieri possit. Frequentissimus asyndeti usus est in oratione vehementi, ubi aliquis animi motus exprimitur: (v. or. de Cor. §. 28. p. 234. s. fin.). Sed de his locis non loquimur, quia, ut Hieron. Wolf. ad locum quendam

Dem. dicit, affectus animi leges et civitatis et grammaticae tollunt. Ii considerandi loci, ubi ex regula copula omittitur, id est, ubi sententiae liberae grammatico nexu esse possunt, et per se aliquid, quod unum sit et totum, constituunt. Id fieri potest primum tum, ubi postquam generatim de aliqua re dictum est, singulae eius partes exponuntur: cfr. Dem. phil. I. §. 19. p. 45, 7. seqq. et Hom. Il. XII, 257. 267. — Deinde in sententiis explicativis. Cfr. Phil. I. §. 20. *καὶ ὅπως μὴ ποιήσετε ὃ πολλάκις ὑμᾶς ἔβλαψεν· πάντ᾽ ἐλάττω νομίζοντες εἶναι τοῦ δέοντος — οὐδὲ τὰ μικρὰ ποιεῖτε.* V. interprett. ad Dem. p. 118, 8. His locis proxime accedunt ii, in quibus id, quod sine copula dicitur, antecedd. quasi praeparatum est. Ita Hermannus Il. XI, 196 sqq. explicuit asyndeton, ubi Iris Hectorem quaerens introducitur:

βῆ δὲ κατ᾽ Ἰδαίων ὀρέων εἰς Ἴλιον ἱρήν·
εὗρ᾽ υἱὸν Πριάμοιο δαΐφρονος, Ἕκτορα δῖον etc.

Deinde hoc observavi, copulam omitti in locis, ubi de re, quae in antecedd. exposita est, iudicium fertur. V. Dem. phil. II. §. 27. p. 72, 15. *οὕτως ἡ παραυτίχ᾽ ἡδονὴ καὶ ῥᾳστώνη μεῖζον ἰσχύει τοῦ ποθ᾽ ὕστερον συνοίσειν μέλλοντος.* V. or. de foedere cum Alex. §. 29. p. 219, 25. or. de Cor. §. 163. p. 282, 2. — Huic simillima ratio ea est, quod copula omittitur, ubi ea quae ante dicta sunt, uno verbo quasi complectitur orator, ut or. de Cherson. §. 77. p. 109, 8. *ἂν οὕτω τοῖς πράγμασι χρῆσθε* etc. Cfr. etiam phil. I. §. 33. p. 49, 12 sqq. Hinc in phil. IV. §. 23. p. 137, 15. facile sequeris codd. duos Bekk. et quinque optimos Reisk. in verbis „*ἂν δ᾽ οὕτω ποιήσητε*" copulam omittentes. Ad hos locos etiam eum, de quo nobis dicendum fuit, pertinere arbitror. Nam in verbis „*γνοὺς ἐγὼ ταῦτα*" ea omnia, quae praecedunt, continentur quasi et colliguntur. Hinc recte Dindorf. in or. contra Callipp. §. 12. p. 1239, 17. *οὖν* omisit his in verbis: *Ἃ μὲν διελέχθη* etc. V. ibi Bekker.

Omnino observabis, quod iterum moneo, copulam omitti in sententiis, quae per se possunt poni sine ulla cum praecedd. iunctura. Quare quod interpretes observasse sibi videntur, non mirum est, Demosthenem post particulas quasdam omittere copulam, ut post *εἶτα, ἔπειτα* etc. V. ad Dem. 78, 16. Hoc Pseudo-De-

mosth. imitatus est phil. IV. §. 21. p. 137, 4. et or. de contribut. §. 14. p. 170, 12.

Denique brevissime in censum vocare liceat phil. I. §. 29. fin. p. 48, 12. ubi Demosthenes subito quasi exclamat: *ἐγὼ συμπλέων ἐθελοντὴς πάσχειν ὁτιοῦν ἕτοιμος, ἐὰν μὴ ταῦθ' οὕτως ἔχῃ.* Huius asyndeti vis tam parum perspecta est Schaefero, ut vehementer ei displiceat. Cfr. quem supra adtuli locum or. de Cor. §. 28. p. 234, 25."

Haec igitur in schedis scripta inveni. Exempla, quibus id, quod contendi, demonstrarem, pauca adtuli; res ipsa visa est probabilis. Quodsi singula brevius tractasse aut rem non ad liquidum perduxisse videar, hoc certe evitandum putavi, ne omnia promiscue et sine ulla ratione, sed cogitata et satis distincta proferrem.

Denique restat in hac epistola locus a quovis fere interprete coniectura tentatus, ita ut, meam si addiderim, certe audaciae crimine liber sim.

p. 159, init. §. 2.

Πρῶτον μὲν γὰρ Νικίου τοῦ κήρυκος ἁρπασθέντος ἐκ τῆς χώρας τῆς ἐμῆς οὐ τοῖς παρανομοῦσιν ἐπετιμήσατε [ὅτι τὴν δίκην], ἀλλὰ τὸν ἀδικούμενον εἴρξατε δέκα μῆνας.

Haec, quae uncis inclusit Bekk. verba, in omnibus eius libris et in Reisk. praeter duos omnibus leguntur. Felic. et Manut. „ὅτι παρὰ τὴν δίκην" sc. ἐβιάσαντο, Wolf. „ὅπερ ἦν δίκαιον" quod Auger. recepit, Reisk. denique coniecit „ὅτι ἦν δίκαιον." In margine Lessingianae haec sunt adscripta: γρ. οὐκ ἐπετιμήσατε τὴν δίκην. — Fortasse igitur haec epistolae auctor scripsit: „οὐκ ἐπετιμήσατε τότε τὴν δίκην, non irrogavistis tum eam, quam decebat, poenam." Τότε ut εἶτα, ἔπειτα post participia poni satis constat. V. Hom. Il. I, 477.

Orat. de symmoriis §. 13. p. 181, 17.

Τότε δέ, ἂν ἄρα ἃ νῦν οἰόμεθ' ἡμεῖς, πράττηται, οὐδεὶς δήπου τῶν πάντων Ἑλλήνων τηλικοῦτον ἐφ' ἑαυτῷ φρονεῖ, ὅς-

τις ὁρῶν ὑμῖν χιλίους μὲν ἱππέας, ὁπλίτας δὲ ὅσους ἂν ἐθέλῃ τις, ναῦς δὲ τριακοσίας, οὐχ ἥξει καὶ δεήσεται μετὰ τούτων ἀσφαλέστατ' ἂν ἡγούμενος σωθῆναι.

Duo hic sunt quae Schaeferus reprehendit. Primum enim ὑμῖν habere dicit quo displiceat; alterum in eo positum est, quod particula μὲν iustum locum non teneat. Quae cum ita sint, scribi vult „ὁρῶν χιλίους ὑμῶν ἱππέας" nitens Paris. II. qui γρ. ὑμῶν et Aug. I. qui transpositis verbis et omisso μὲν (quod etiam Σ non habet) haec offert: ὁρῶν χιλίους ὑμῖν ἱππέας. — Dativum ne temere mutemus, diligenter cavendum. Atque miror Schaeferum hic offendisse, in or. Midiana §. 18. p. 520, 16. προδιαφθείρας τοίνυν τοὺς κριτὰς τῷ ἀγῶνι τῶν ἀνδρῶν Wolfii, Reiskii et Buttmanni explicationem probasse aut certe se dissentire non monuisse. Grammatici certatim usum illum dativi docent et probant; hinc unum sufficit afferre locum Xen. Anab. IV, 4, 2. βασίλειον εἶχε τῷ σατράπῃ.

Deinde si Sch. pergit μὲν falso loco positum esse, cum verba sic structa requiras: ἱππέας μὲν χιλίους, ne hoc quidem concedo. Eodem enim iure δὲ in seqq. malum tenere locum contendi possit, sed dicendum esse ὅσους δ' ἂν ἐθέλῃ τις ὁπλίτας. Simillimus locus est in or. de cor. §. 237. p. 306, 15. ἀφ' ὧν μύριοι μὲν καὶ πεντακισχίλιοι ξένοι, δισχίλιοι δ' ἱππεῖς, χρημάτων δὲ ὅσων ἠδυνήθην ἐγώ, πλείστην συντέλειαν ἐποίησα. Iam vero numeralia nominibus et postponi et anteponi constat hoc discrimine, qualitatem rei (liceat ita dicere), si postponantur, quantitatem, si anteponantur, vi quadam exprimi, ut si nos dicimus: „Reiterei hatte er soviel etc." Eodem modo ubi oratio duabus partibus constat atque est oppositio, non insolens est praedicatum in altero membro orationis postponi nomini, in altero ante, quo quidem verborum ordine oratio vim habet rhetoricam, ut Dem. or. XIV. §. 36. p. 188, 13. φίλον μὲν ἀλυσιτελῆ, συμφέροντα δ' ἐχθρόν. — Deinde v. Dem. contra Apatur. §. 6. p. 894, 8. ἀπορουμένῳ δ' αὐτῷ μνᾶς μὲν δέκα ὁ Παρμένων ὡμολόγησε δώσειν, τριάκοντα δὲ μνᾶς ἐδεῖτό μου οὑτοσὶ συνευπορῆσαι. Thuc. II, 13. ἱππέας δ' ἀπέφαινε διακοσίους καὶ χιλίους—, ἐξα-

κοσίους δὲ καὶ χιλίους τοξότας. v. praeterea Thuc. VI, 31. VII, 20. Gell. XI, 1. *duarum ovium, boum triginta.* Denique cum *μὲν — δέ* et singula verba et totas sententias distinguant, interdum eas particulas iniquo loco positas esse videri ne mireris. V. Soph. Trach. 63. Odyss. I, 116. Dem. or. de Cor. §. 163. p. 281, s. fin. Plat. Civit. III. p. 393. E. Chryses dicitur optare: *ἐκείνοις μὲν* (Graecis) *τοὺς θεοὺς δοῦναι ἑλόντας τὴν Τροίαν αὐτοὺς δὲ σωθῆναι, τὴν δὲ θυγατέρα οἱ λῦσαι δεξαμένους ἄποινα καὶ τὸν θεὸν αἰδεσθέντας.*

---

§. 27. p. 185, 26.

— ἀλλ' οὔτ' ἂν ἀνάσχοισθε, οὔτ' ἂν, εἰ καταθεῖτε, ἄξια τοῦ πολέμου τὰ χρήματα.

Alterum *ἂν*, quod abest ab Aug. I. Σ. et corr. Y. Schaeferus sine cunctatione delendum dicit: oratorem enim confidentissime negare pecuniam quantumvis magna videatur sufficere ad sumtus belli. Iure, opinor, Bekk. *ἂν* retinuit. Nam ne propter optimum cod. Σ particulam damnes, etiam in priore loco *ἂν* ibi esse omissum memento. Accedit, quod facile, cur librarii deleverint *ἄν*, intellectu est.

Duo autem quae profert Schaef. argumenta, in re certa *ἂν* poni non posse et certa desiderari exempla omissi optativi *εἴη*, uno loco refutantur Soph. Philoct. 490.

— πατρί μ' ὡς δείξῃς φίλῳ,
ὃν δὴ παλαί' ἂν ἐξότου δέδοικ' ἐγὼ
μή μοι βεβήκῃ.

De hoc loco Schaeferus haec adnotat: „*παλαί' ἂν* quam ineptum sit, facile senties, si verteris: diu sit, das dürfte lang her seyn. Sic pius filius non loquitur, qui certo scit, dudum patri se metuisse, non dubitat, an dudum metuerit.“ At quis nescit ex illa notissima attici sermonis urbanitate *ἂν* etiam certissima in re poni? Vide quae monet Bornem. ad Xen. sympos. III. §. 8.

Schaeferus autem non omnino negat optativum posse omitti (v. ad L. Bos. 605. et ad Dem. l. l.), sed tum tantum id fieri posse contendit, ubi ellipsis sit syntactica, quae non vera sit ellipsis, ut in

Eryxia Platonicis addito c. 29. *καταμαθὼν δ' αὐτὸν ἐγὼ ὅτι ἴσον εἴη πεῖσαι, ὅπερ ἂν τὸ λεγόμενον λίθον ἑψῆσαι.* Rectissime haec praecipit vir doctissimus. Sed nunc vide or. contra Androt. §. 45. p. 607, 10. *ἃ οὐδ' ἂν εἰ παρ' ἑαυτοῦ δοίη τις ὑμῖν, λαβεῖν ἄξιον, μήτι γε ἐφ' ᾧ ἑτέρους εἰςπράττειν.* Nonne hic locus illi priori plane similis? Iam vide, quid de eo Schaefero videatur: „Ad *ἄξιον* subaudi *εἴη* referendum illud ad particulam *ἄν*.“ Quod si ipse iam concedit, ego tacendum puto.

Sed recte Bekkerus delevisse videtur *ἂν* in or. de Chers. §. 71. p. 107, 23. *οὕτω γὰρ ἴσως ἀνεπίφθονον εἰπεῖν*, ubi codd. *FΣΩuv* habent *ἂν ἴσως.* Hic quoque Schaeferus *ἂν* reiicit.

Orat. pro Megalopolit. §. 27. p. 209, 6.

οἱ δὲ φασὶ μὲν αὐτοῖς οὐκ εἶναι στήλας, ἀλλὰ τὸ συμφέρον εἶναι τὸ ποιοῦν τὴν φιλίαν.

Weiskius haec plane non intellexit, si in libro de hyperb. etc. III. p. 5. *οὐκ εἶναι* oratorie pro *οὐδαμοῦ εἶναι, οὐδεμίας* (sic) i. e. *οὐδενὸς λόγου* dictum esse putavit. Schaeferus adeo coniectura tentat locum sic scribendum esse suspicans „*οὐ κενὰς στήλας, ἀλλὰ* — At si me non omnia fallunt, quid clarius et apertius potest ea sententia esse: *οὐκ εἶναι στήλας* sc. *τὰς ποιούσας τὴν φιλίαν, ἀλλὰ* —? V. similem locum in orat. de Cor. §. 35. An in repetitione verbi *εἶναι* haesit Schaeferus? Vix puto, quanquam orat. de foedere cum Alexandro p. 217, 11. §. 19. *καὶ μηδένα κωλύειν αὐτοὺς μηδὲ κατάγειν πλοῖον μηδένα τούτων*, duplex *μηδένα* ei displicuit. V. Herodoti prooemium: *ὡς μήτε τὰ γενόμενα ἐξ ἀνθρώπων τῷ χρόνῳ ἐξίτηλα γένηται, μήτε ἔργα μεγάλα — ἀκλεᾶ γένηται.* Aeschin. or. in Ctes. §. 93. Bekk. *τὰς μὲν βοηθείας ὡς δεῖ τὴν πόλιν πρότερον ποιεῖσθαι τοῖς ἀεὶ δεομένοις τῶν Ἑλλήνων, τὰς δὲ συμμαχίας ὑστέρας ποιεῖσθαι μετὰ τὰς εὐεργεσίας.*

Or. de cor. §. 91. p. 256, 12.

In decreto Byzantinorum haec leguntur:

στῆσαι δὲ καὶ εἰκόνας τρεῖς ἑκκαιδεκαπήχεις ἐν τῷ Βοσπορίχῳ.

Cum optimi et fere omnes libri haec exhibeant atque unus tantum alterve *Βορίχῳ*, interpretes quid illo nomine facerent, nesciverunt. Felicianus, Wolfius et Schaeferus *ἐν τῷ Βοσπόρῳ* coniecerunt. Reiskius in indice graecitatis Demostheneae *Βοσπόριχον* forum Byzantii esse contendit. Sed unde hoc hauserit, non commemorat neque quisquam virorum doctorum hoc tradidit. Ego scribendum puto: *ἐν τῷ Βοσπορίῳ* aut potius *Φωσφορίῳ*. Stephanus Byzantinus enim s. v. *Βόσπορος* haec affert: „*Βοσπόριον τοῦ Βυζαντίου λιμήν, οἱ δὲ ἐγχώριοι Φωσφόριον αὐτὸν καλοῦσιν.*“ Berkelius ad hunc locum contendit, Salmasium apud Eustathium (ad Dionys. Perieg. 140.) contendere se legisse *Βόσπορον*. At id verisimile non est. *Βοσπόριον* est legendum, ut etiam *Φωσφόριον*. Stephanus id tantum commemorat, quomodo Byzantini illam vocem pronuntiaverint. Haec igitur emendatio tam certa esse videtur, ut nihil certius sit. Quomodo autem vulgata lectio orta sit, facile intelligimus. Nam initio psephismatis scriptum est: *Ἐπὶ ἱερομνάμονος Βοσπορίχω.*

---

§. 98. p. 258, 24.

Ταῦτ᾽ ἐποίουν οἱ ὑμέτεροι πρόγονοι, ταῦθ᾽ ὑμῶν οἱ πρεσβύτεροι, οἳ Λακεδαιμονίους —, ἐπειδὴ Θηβαῖοι κρατήσαντες ἐν Λεύκτροις ἀνελεῖν ἐπεχείρουν, διεκωλύσατε.

Verba sunt paulo perplexe constructa, sententia tamen planissima. Apparet *οἳ Λακεδαιμονίους — διεκωλύσατε* iungi non posse; quare Taylorus dicit sententiam pendere nihilque esse per totam sententiam, quod accusativum sustentet. Reiskius accusativos aptos esse putat a verbo *ἀνελεῖν* et ita construit locum: *οἳ διεκωλύσατε Θηβαίους ἐπιχειροῦντας ἀνελεῖν τοὺς Λακεδαιμονίους.* Sine dubio orator haec dicit, sed ubi illa verba sunt? Locus pla-

nissimus erit recta posita interpunctione. Aut enim a verbis *οἳ Λακεδ.* usque ad *διεκωλύσατε* omnis interpunctio tollenda est, aut si hodiernum morem sequi praestat, ita erit interpungendum: *οἳ, Λακεδαιμονίους — ἐπειδὴ Θηβαῖοι ἀνελεῖν ἐπεχείρουν, διεκωλύσατε.* V. Olynth. II. §. 28. *Ἀμφίπολις ἂν ληφθῇ, παραχρῆμα αὐτὴν ὑμεῖς κομιεῖσθε.* Or. adv. Leptin. §. 25. p. 464, 16. *τὰς ἀτελείας ἐὰν ἀφέλησθε.* Cfr. Schaefer. ad Dem. p. 471, 5.

---

§. 123. p. 268, 22.

— οὐχ ἵνα — ἀπὸ τῶν ἰδίων κακῶς τὰ ἀπόῤῥητα λέγωμεν ἀλλήλους.

Ita omnes libri Reisk. et Bekker. Solus codex Italicus et Aldina Taylori pro *κακῶς* exhibent *κακῶν*, quam scripturam Reiskius recepit, probat Schaeferus dicens typotheticum errorem editionis Oxoniensis Bekkeri (qui suos codd. secutus vulgatam retinuit) putaturum se esse illam scripturam, nisi etiam Berolinenses operas eam exhibere videret. Imo sanissima est librorum scriptura, quod etiam Rauchenstein. l. l. p. 25. breviter monuit. Nam iungenda sunt *κακῶς λέγειν τὰ ἀπόῤῥητα ἀλλήλους* i. e. *ὀνειδίζειν, λοιδορεῖσθαι, κακολογεῖν ἀλλήλους τὰ ἀπόῤῥητα* (ut. Xen. Memor. I, 2, 7. *τὰ μέγιστα εὐεργετεῖν*). Compara Xen. Anab. I, 9, 14. *καὶ τὸ μὲν τὰ μ ε γ ά λ α νικᾶν τ ο ὺ ς φ ί λ ο υ ς ε ὖ π ο ι ο ῦ ν τ α οὐδὲν θαυμαστόν.* Dem. or. in Lept. §. 123. p. 494, 12. *ὁ γὰρ ἄξια τῆς ἀτελείας εὖ πεποιηκέναι δόξας.* V. Wolfium ad or. in Lept. p. 471, 12.

Neque offensioni hoc esse debet *κακῶς* disiunctum esse a verbo, ad quod pertinet; cfr. quod supra iam adtuli, ex hac ipsa orat. p. 275, 26. §. 144. *καὶ γὰρ εὖ πρᾶγμα συντεθὲν ὄψεσθε.*

---

§. 262. p. 314, 15.

— σῦκα καὶ βότρυς καὶ ἐλάας συλλέγων ὥςπερ ὀπωρώνης ἐκ τῶν ἀλλοτρίων χωρίων πλείω λαμβάνων ἀπὸ τούτων [τραύματα] ἢ τῶν ἀγώνων, οὓς ὑμεῖς περὶ τῆς ψυχῆς ἠγωνίζεσθε.

Vocem *τραύματα* in libro Σ a prima manu omissam uncis inclusit Bekkerus, quod Schaefer. reprehendit dicens: „Aeschines po-

ma suffurans quoties deprehenderetur, male mulcatus est." — Mihi Bekk. rectissime illud vocabulum a librariis turpiter errantibus ex iis quae sequuntur ὑφ' ὧν πολλὰ τραύματα εἰληφὼς huc tractum ut spurium damnasse videtur, quo deleto locus acerbissimus propter amphiboliam, quae in verbis πλείω λαμβάνων ἀπὸ τούτων inest, maxime facetus est. Verisimile autem est omnes auditores novisse quid Aeschines poma suffuratus acceperit. Accedit, quod sequentia, ubi propter certamina quae Aeschines tertiae personae actor contra auditores subiit, acerbe irridetur, oratoris verba satis declarant.

Oration. de male gesta legat. §. 34. Bekk. p. 351, 24.

ἦν γὰρ τοῦτο πρῶτον ἁπάντων τῶν ἀδικημάτων τὸ τὸν Φίλιππον ἐπιστῆσαι τοῖς πράγμασι τούτοις καὶ δέον ὑμᾶς ἀκοῦσαι περὶ τῶν πραγμάτων, εἶτα βουλεύσασθαι, μετὰ ταῦτα δὲ πράττειν ὅ τι δόξαι, ἅμα ἀκούειν κἀκεῖνον παρεῖναι καὶ μηδ' ὅ τι χρῆν ποιεῖν ῥᾴδιον εἰπεῖν εἶναι.

Quod in fine huius sententiae legitur χρῆν, Bekkerus in χρείη mutari vult. Quanquam autem et χρῆν et χρείη recte potuit dici, malim tamen ego quod Paris. I. Aug. I. et II. codd. Bekk. ΣYr (s habet χρῇ) et margo Lutetianae exhibent χρή. Non raro autem praesens praeteritis adiunctum esse videmus. Or. adv. Lept. §. 51. p. 472, 16. πολλοὺς ἄλλους, οἳ πόλεις ὅλας — συμμάχους ἡμῖν ἐπὶ τοῦ πρὸς Λακεδαιμονίους πολέμου παρέσχον καὶ λέγοντες ἃ συμφέρει τῇ πόλει τῇ ὑμετέρᾳ καὶ πράττοντες. Hic quoque Bekk. optativum συμφέροι poni mavult. Or. in Androt. §. 66. p. 614, 1. οὐδενὸς πώποτε τούτων ἐξητάσθης κατήγορος οὐδ' ἀγανακτῶν ὤφθης ὑπὲρ ὧν ἡ πόλις πάσχει. Bekkerus: „Equidem pro πάσχει malim πάσχοι." Haec sententia iisdem verbis recurrit in or. adv. Timocr. §. 173. p. 754, 7. ubi vulgata scriptura haec est: ὑπὲρ ὧν ἡ πόλις ἔπασχεν. Sine dubio hic quoque veram scripturam praebent Bavaricus et FΣv Bekkeri πάσχει. Dindorfius Bekkeri coniecturam πάσχοι recepit.

Adv. Aristocr. §. 117. p. 659, 10. καὶ γὰρ ἐκεῖνόν φασιν ἐξαπατώντων τι τῶν Λακεδαιμονίων καὶ προτεινόντων πίστιν ἥντινα βούλεται λαμβάνειν εἰπεῖν etc. Simillimus locus est in Plutarchi Cimone, c. VIII. καὶ γὰρ ἦν χρησμὸς Ἀθηναίοις τὰ Θησέως λείψανα κελεύων ἀνακομίζειν εἰς ἄστυ καὶ τιμᾶν ὡς ἥρωα πρεπόντως· ἀλλ' ἠγνόουν ὅπου κεῖται. Neque alienus est locus ex orat. adv. Lept. §. 63. p. 476, 4. πότερον οὖν μᾶλλον ἔδει σε ὦ Λεπτίνη τοὺς ἐχθροὺς, εἰ δύνασαι, πεῖσαι etc.

Hunc ultimum locum recte videmur explicare posse ita „si quidem (omnino) hanc persuadendi facultatem habes." Ille quoque locus or. in Lept. §. 51. ἃ συμφέρει ita intelligi possit: „Totas civitates, suam quisque patriam sociam nobis reddiderunt et dicentes et agentes, quae dici et fieri (omnino) civitati nostrae prodest."

Sed simplicius videtur, ut in reliquis locis, ἃ συμφέρει ad illud ipsum referre tempus, de quo sermo est, ut praesenti temporibus praeteritis interposito orationis color fiat vividior.

Eiusdem orat. §. 95. p. 371, 21.

Εἶτ' ἐπειδὴ δεῖ λόγον καὶ δίκην ὑπέχειν τῶν πεπραγμένων, ὧν οἶμαι πανοῦργος οὗτος (Αἰσχίνης) καὶ θεοῖς ἐχθρὸς καὶ γραμματεὺς, ὡς ὑπὲρ τῆς εἰρήνης κρινόμενος ἀπολογήσεται etc.

Schaeferus vocem γραμματεὺς convicii loco fuisse negans deleta copula καὶ iungit verba καὶ θεοῖς ἐχθρὸς γραμματεύς. Nam ubi convicians adversarium orator vocet γραμματέα, addi quod probrum significet, ut p. 269, 20. ὄλεθρος γραμματεύς. At ego oratorem maximam vim tribuisse opinor huic voci, ut quae omnia ea contineat ignominiosa, quae in Aeschinem dici possint. Haec illa emphasis est, quam grammatici dicunt, cuius usus infra aliud exemplum afferemus item male a Schaefero intellectum. Nunc quo iure γραμματεὺς convicii loco esse possit videamus.

Duplex scribarum genus fuisse, unum civium tenui censu, alterum servorum publicorum (δημόσιοι) docet Boeckhius Oecon.

polit. Ath. I. p. 198. seqq. — Cornel. Nepos in Eumene cap. I. dicit haec: *Itaque Eumenem Philippus habuit ad manum scribae loco, quod multo apud Graios honorificentius est quam apud Romanos. Nam apud nos, revera sicut sunt, mercenarii scribae existimantur.* — Si igitur Eumenes quanquam scriba in honore fuit, eandem ob causam factum id esse puto, ob quam Celsus Albinovanus, scriba Neronis (v. Schmid. ad Hor. Epist. I, 8, 2.) superbia elatus fuit. Sed etiam apud Romanos summorum magistratuum scribas honesto fuisse loco apparet e Ciceronis in Verrem act. III. c. 79.

Sed quaeritur, qualis scriba Aeschines fuerit. Apollonius in ἐξηγήσει εἰς Αἰσχίνην (quae inserta est Hier. Wolfii editioni Dem. et Aesch. tom. V. p. 333.) haec narrat: ἀνὴρ δὲ γενόμενος τὸ μὲν πρῶτον ὑπεγραμμάτευσε ταῖς ἀρχαῖς χρόνον τινὰ σὺν τῷ ἀδελφῷ Ἀφοβήτῳ· ἦν δ' ἐπονείδιστον τοῦτο τὸ ἔργον. Ἔπειτα ἀποστὰς τούτου τριταγωνιστὴς ἐγίγνετο τραγῳδιῶν etc., quocum loco cfr. quae Demosth. or. de Cor. §. 261. p. 314, 6. dicit: εὐθέως τὸ κάλλιστον ἐξελέξω τῶν ἔργων γραμματεύειν καὶ ὑπηρετεῖν τοῖς ἀρχιδίοις. Hic quanquam plurimi libri ὑπογραμματεύειν habent, Bekk. e tribus (inter quos Σ est) simplex γραμματεύειν dedit, recte, opinor, cum Demostheni satis fuerit indicare commune eius muneris, quo Aeschines fungebatur, nomen, compositum autem a librariis ortum esse possit, qui cum Aeschinem ὑπογραμματέα fuisse scirent, hoc accurate dicendum esse putarent. Cfr. praeterea or. de male gest. leg. §. 249.

Sed quo clarius appareat, quanto cum contemptu Demosthenes adversarium appellet scribam, vide or. de cor. §. 265. pag. 315, 8. ubi se ipsum cum Aeschine componens dicit: ἐδίδασκες γράμματα, ἐγὼ δ' ἐφοίτων, ἐτέλεις, ἐγὼ δ' ἐτελούμην, ἐχόρευες, ἐγὼ δ' ἐχορήγουν, ἐγραμμάτευες, ἐγὼ δ' ἐκκλησίαζον. Accedat locus ex orat. de male gest. leg. §. 314. p. 442, 12. κἂν „ὁ γεγραμματευκὼς Αἰσχίνης" εἴπῃ τις, ἐχθρὸς εὐθέως καὶ κακῶς φησὶν ἀκηκοέναι. Inde ipsum Aeschinem scribam se fuisse, postea puduisse videmus. — In or. de cor. §. 209. p. 297, 21. Demosth. dicit: ὦ κατάρατε καὶ γραμματοκύφων.

Iam si quaeris cur isti scribae tam parvi penderentur, notus est βίου βαναύσου apud veteres contemptus. Sic de iis qui ele-

menta litterarum docebant vel qui sacris faciundis operabantur, v. interprett. ad Dem. 315, 7. et 313, 13.

Denique, quod supra promisi, affero aliud emphasis exemplum ita diversum ab illo, ut in priore verbum, quod ἐμφατικῶς positum esse contendi, malo sensu sit accipiendum, contrarium fiat in hoc altero, quod iam videbis. Nam in or. I. contra Onetorem §. 12. p. 867, 17. haec dicuntur:

μὴ διαλυσάμενος (τὴν προῖκα) μὲν γὰρ γίγνεται χρήστης ἄδηλος, εἴτ' ἀποδώσει δικαίως εἴτε μή, μετὰ δὲ τῆς γυναικὸς τἀκείνης ἀποδοὺς οἰκεῖος καὶ κηδεστής.

Hic Schaeferus scribit: „Atqui κηδεστής fit etiam non tradita dote. Deleam igitur καὶ quod suspicor natum esse e littera antecedente. οἰκεῖος κηδεστής affinis non nomine tenus, sed simul iunctus communione officiorum."

Speciosa quidem est in hoc Demosthenis loco mutatio, quam proposuit Sch., sed tamen falsa. Non vidit vir doctus oppositionem sententiarum hanc: „Qui non solvit dotem, pro debitore habetur. Qui una cum uxore dotem suppeditat, familiaris est atque affinis." Nos ita fere loquimur: „Wer die Mitgift nicht entrichtet, gilt als blosser Schuldner; wer aber mit der Gattin zugleich die Mitgift abgiebt, gilt als wirkliches Familienglied und als Verwandter." Nam nos haec verba ἐμφατικῶς usurpata sic fere significamus „ein wahrer etc." seu „im wahren Sinne des Wortes."

Or. de male gesta leg. §. 137. p. 383, 23.

Καὶ γάρ τοι πρῶτον μὲν Ἀμφίπολιν πάλιν ὑμετέραν δούλην κατέστησεν, ἣν τότε σύμμαχον αὐτοῦ καὶ φίλαν ἔγραψεν.

Demosthenes de Artaxerxe, rege Persarum, loquitur, qui cum Timagoram Atheniensem ad decipiendos cives conduxisset, deinde isto proditore ab Atheniensibus interfecto consilium mutavit, Amphipolin illis concessit atque adeo neminem posthac pecunia corrupit.

Sed vide quomodo id dictum sit. Primum alii codd. habent πάλιν, alii πόλιν. Wolfius cum in libris πόλιν reperisset, veri sen-

su quodam ductus *πάλιν* coniecit eaque coniectura deinde librorum auctoritatem nacta est. Plurimorum vero Mss. scripturam *πόλιν* retinuerunt Marklandus, Taylorus, Reisk. et Schaefer. Etiam Tiberius p. 47. ut paronomasiae exemplum ex hoc loco laudat *Ἀμφίπολιν πόλιν ὑμετέραν*. At hoc nihil plane probat nisi id, *πόλιν* antiquum esse librorum vitium. Deinde sine dubio admodum durum et insuave auditu est illud *Ἀμφίπολιν πόλιν*. Quid? quod vitiosa est ea scriptura. Nemo facile iunxerit *πόλιν* cum praegresso *Ἀμφίπολιν*. Quare si illa vox retinetur, haec habes: *πόλιν ὑμετέραν δούλην κατέστησεν*. At cur *πόλιν* primum obtinet locum, cum *ὑμετέραν* praeponendum sit? Deinde omnino valde otiosa est illa vox. Quare longe praestat *πάλιν*. Accedit, quod talis particula requiritur. Sed videamus quid porro interpretes moliti sint. Markl. nescio qua de causa (nullam enim affert) mavult: *Ἀμφίπολιν, ἥν, πόλιν ὑμετέραν, δούλην κατέστησεν, τότε σύμμαχον — ἔγραψεν*. Schaeferus ita transponit verba: *Ἀμφίπολιν, πόλιν ὑμετέραν, ἣν δούλην κατέστησε, τότε σύμμαχον — ἔγραψεν*. Permirum enim esse regem Persarum dici *Ἀμφίπολιν*, urbem graecam, Graecorum *δούλην καταστῆσαι* et quidem ab Atheniense dici verba faciente ad Athenienses nomen servitutis adeo exosos, ut etiam quos interdum inhumanius quam servos tractarent, (recte hoc Sch. monet: v. Xenoph. de Rep. Athen. I, 18.) nomine specioso sociorum insignirent. — Hanc causam omnino probandam esse nemo non videt. Sed de ipsa mutatione vehementer dubito. Referenda haec omnia sunt ad pacem Antalcidae, cuius conditiones affert Xen. Hell. V, 1, 18. Ex his Artaxerxem iussisse videmus omnes Graecorum urbes liberas esse iis exceptis quae Atheniensium essent; ab omnibus abstinet praeter eas quae in Asia sunt. Amphipolis nusquam commemoratur tanquam urbs socia Artaxerxis. At, inquies, non dicitur ibi Amphipolis concedi Atheniensibus. Recte, sed v. or. de Halon. p. 84, 3. §. 29. Bekk., ubi orator Philippum Amphipolin sibi vindicantem vehementer increpans dicit: *δοκεῖ σφόδρα καταπεφρονηκέναι* (sc. *ὑμῶν*), *ὃς τὴν χώραν ἣν οἱ Ἕλληνες καὶ βασιλεὺς ὁ Περσῶν ἐψηφίσαντο καὶ ὡμολογήκασιν ὑμετέραν εἶναι* —. Et or. de male gesta leg. p. 420, 27. §. 253. *οὗτος* (*Αἰσχίνης*) *δ' ἣν βασιλεὺς*

καὶ πάντες οἱ Ἕλληνες ὑμετέραν ἔγνωσαν Ἀμφίπολιν. Revera igitur Amphipolis concessa erat Atheniensibus. V. Hier. Wolf. ad l. l. or. de Halon.

Ita ne Schaeferi quidem emendatio placet. Quid igitur statuendum? En, auxilium petimus a Boeckhio, qui in Oeconom. polit. A. I. 439. eas urbes, quae tributo liberae fuissent, *ἐλευθέρας* dictas esse docet, *δούλας* urbes vectigales; *δουλείαν* vero non ubique idem esse quod *ἀνδραποδισμόν*. (v. etiam p. 440, not. 436.) Affert hos locos: Thuc. III. (non II.) c. 10. At ibi Mitylenaei queruntur de servitutis iugo, quo Athenienses socios premant. Item V. c. 9. et c. 92. VI. 76. 77. 80. Athenienses ea de re acerbe notantur. Quod Thuc. I. c. 98. dicit: *πρώτη τε αὕτη πόλις* (*Νάξος*) *ξυμμαχὶς παρὰ τὸ καθεστηκὸς ἐδουλώθη*, tam apertum est, ut Boeckh. (I. p. 440.) falso id intellexisse mirer. Cfr. Thuc. I. c. 99. qui causas, cur sociae urbes ab Atheniensibus deficerent, et modum, quo ad pristinam servitutem redigerentur, accurate explicat. Iam si reliquos locos, quos affert Boeckh., contuleris, Isocr. *Συμμαχ*. 16. et Diodor. XV, 19., aut socios queri de ista servitute aut rhetorice, ut dicitur, rem exaggerari videbis, minime autem has urbes vectigales *δούλας* esse dictas. Eodem modo Demosthenes ipse orat. adv. Leptin. §. 107. p. 489, 18. Lacedaemoniorum gerontes *δεσπότας τῶν πολλῶν* dicit. Explicat id in sequentibus discrimen inter Lacedaemoniorum et Atheniensium civitatem commemorans.

Iam vero si nullo modo probari potest, Demosthenem Amphipolin *δούλην* Atheniensium appellasse, quid agamus? Num illa verba „*ὑμετέραν δούλην*“ ipsius Artaxerxis esse opineris? At hoc vix probabile. Nihil igitur restat aliud quam hoc, *δούλην* ab oratore non esse scriptum, sed additum esse a librariis aut ab alio quocunque homine ad explicandum verbum *ὑμετέραν*.

Eiusd. or. §. 188. p. 400, 10.

— δυοῖν δ' αἱρέσεως οὔσης μοι νυνὶ ἢ τοιούτων ὄντων τῶν πεπραγμένων δοκεῖν κοινωνεῖν ὑμῖν ἢ κατηγορεῖν.

Miram hoc de loco Schaeferus habet sententiam. Nam cum nonnulli libri habeant *αἱρέσεων οὐσῶν*, hanc pluralem placere sibi dicit. Singularem enim si maluisset Demosthenes, scripturum eum fuisse: *δυοῖν δὲ θατέρου αἱρέσεως οὔσης.* At nos eodem modo loquimur „die Wahl zwischen zwei Dingen haben", non opus est addi: „zwischen einem von den beiden Dingen." Quod recte dici tum res ipsa docet, tum alia exempla, in quibus Schaeferum item offendisse iam non miror. V. Herm. ad Soph. Electr. v. 1312. et Foertsch. observatt. critic. in Lysiae oratt. p. 62.

---

§. 221. p. 410, 2.

Εἰ γὰρ αὖ ταῦτ' ἐρεῖ, σκοπεῖτ' ὦ ἄνδρες δικασταί, εἰ ἐφ' οἷς ὁ μηδ' ὁτιοῦν ἀδικῶν ἐφοβούμην ἐγὼ μὴ διὰ τούτους ἀπόλωμαι, τί τούτους προςήκει παθεῖν τοὺς αὐτοὺς ἠδικηκότας;

Duplex eo loco est protasis, quam una sequitur apodosis: *σκοπεῖτε, τί τούτους προςήκει παθεῖν, εἰ — ἐφ' οἷς —.* Reiskius id ut expediret, intulit in locum verba, quae plane non legimus. Seagerus eliminandum *εἰ* censet. Nam ut Anglus quae non placent, spernit et abiicit. Schaeferus hanc loci manifesto, ut putat, corrupti medicinam affert: *εἰ ἐφ' οἷς μηδ' ὁτιοῦν ἀδικῶ ἐφοβούμην ἐγώ, —.* „si, ob quae ne in minima quidem culpa sum, metuerem ego, —. At locus non est corruptus, nisi ob mutatam verborum structuram locum appellare velis corruptum. Neminem offensurum puto fuisse, si haec legeret: *σκοπεῖτ', εἰ ἐφ' οἷς ὁ μηδ' ὁτιοῦν ἀδικῶν ἐφοβούμην ἐγὼ μὴ διὰ τούτους ἀπόλωμαι, τούτους τοὺς αὐτοὺς ἠδικηκότας προςήκει παθεῖν — τί;* Nam cum deberet orator ipsam poenam, qua illi afficiendi essent, nominare, iam ipse quaesivit, qua illi digni essent poena.

Itaque ea sententia, quae debebat ab antecedd. pendere, tanquam per se sola posita in interrogationem directam exit. Hoc tanto opere linguae graecae proprium est, ut nulla alia quaerenda esse censeam exempla, sed ipsam huius linguae indolem atque naturam considerandam. Sed confer or. Olynth. I. p. 16, 10. §. 24. Bekk. — *λογιζομένους, εἰ Φίλιππος λάβοι καθ' ἡμῶν τοιοῦτον καιρὸν καὶ πόλεμος γένοιτο πρὸς τῇ χώρᾳ, πῶς ἂν αὐτὸν οἴεσθε ἑτοίμως ἐφ' ὑμᾶς ἐλθεῖν;* Bene hunc locum explicuerunt Schaefer. et Foertsch. comment. critic. etc. p. 45. qui sat multos alios affert, quibuscum illum quem exposuimus locum recte posse comparari non est dubium.

Aliud mutatae orationis exemplum, sed aliter explicandum et ab alia origine deducendum legimus in hac ipsa oratione,

§. 291. p. 434. s. fin.

Ἐπειδὴ δὲ σὺ μὲν τουτουσὶ (Athenienses) *δεδιξάμενος καὶ φήσας καταβαίνειν εἰς Πειραιᾶ δεῖν ἤδη καὶ χρήματ' εἰςφέρειν καὶ τὰ θεωρικὰ στρατιωτικὰ ποιεῖν ἢ χειροτονεῖν ἃ συνεῖπε μὲν οὗτος ἔγραψε δ' ὁ βδελυρὸς Φιλοκράτης, αἰσχρὰν ἀντὶ καλῆς συνέβη γενέσθαι τὴν εἰρήνην, οὗτοι δὲ τοῖς μετὰ ταῦτ' ἀδικήμασι πάντ' ἀπολωλέκασι, τηνικαῦτα διήλλαξαι;*

Ita Bekkerus ex optimo codice Σ, qui tot locis genuinam restituit scripturam, edidit sed, ut videtur, hanc scripturam non veram esse ratus, cum pro illo *συνέβη* verbum secundae personae aptum ex illis *δεδίξαμενος καὶ φήσας*, quale *ἐποίησας*, requiri opinetur. Vulgo hic locus ita ab editoribus scriptus erat: *— ἐξ ὧν αἰσχρὰν — συνέβη γεν. τ. εἰρήνην.* Iam cum nominativi *δεδιξάμενος* et *φήσας* suspensi essent, quo referrentur quaerebatur. Ac Reiskius quidem cum ad *διήλλαξαι*, quod in fine sententiae legitur, eos referret, iure a Schaefero notatus est. Una tantum, si vulgatam scripturam retinemus, ratio exstat nominativos explicandi, quam optime vidit Sch. Nam participia illa non cohaerere syntactice cum *διήλλαξαι*, sed ad ea e sequentibus *πάντ' ἀπολώλεκας* subaudiri oportere monet. Sed

uti supra vidimus *ἐξ ὧν* in optimo libro omissa sunt et quidem, ut mihi videtur, rectissime aut certe ita, ut offendere nequeas. Deinde Aug. I. et II. apud Reiskium, *k s* (qui cum illis fere ubique consentiunt) apud Bekk. et fortasse pr Σ (v. Bekk.) habent *ἀντ' ἴσης*, quae lectio talis est, ut probanda utique videatur; *ἴση εἰρήνη* quid sit, res ipsa docet. Sed de scriptura codicis Σ quam verissimam nobis videri diximus, paullo accuratius explicemus. Habemus igitur haec: *Ἐπειδὴ σὺ — δεδιξάμενος καὶ φήσας — αἰσχρὰν ἀντ' ἴσης συνέβη γενέσθαι τὴν εἰρήνην.* „At, inquies, haec non cohaerent." Syntactice quidem non. Sed nonne id ipsum, quod Bekkerus desideravit, exprimitur verbis *κατὰ τὸ σημαινόμενον* intelligendis ita: *ἐπειδὴ σὺ — αἰσχρὰν — γενέσθαι τὴν εἰρήνην ἐποίησας.* Scilicet ex mutata verborum constructione, cuius causa in intercapedine inter nominativos illos et *συνέβη* quaerenda est, ut multis aliis in locis, orta est hic quoque anacoluthia. Exempla compara haec:

Primum omnium simplicissimum est, quod or. adv. Spudiam §. 5. p. 1029, 13. dicitur: *ὅτι τὴν προῖκα οὐ κομισάμενος ἅπασαν — πρὸς ἐκεῖνον ἦν μοι τὸ συμβόλαιον.* Adv. Callipp. §. 5. p. 1237, 8. *τύχης δὲ συμβάσης τοιαύτης τῷ Λύκωνι τούτῳ ὥςτε εὐθὺς ἐκπλέοντα αὐτὸν — ὑπὸ ληστρίδων νεῶν τά τε χρήματα καταχθῆναι εἰς Ἄργος καὶ αὐτὸν τοξευθέντα ἀποθανεῖν* etc. V. ibi Schaeferum. Adv. Nicostr. §. 20. p. 1253, 7. *Τὸν δὲ Μάνην* (servum quendam) *δανείσας* (Arethusius) *ἀργύριον Ἀρχεπόλιδι τῷ Πειραιεῖ, ἐπειδὴ οὐχ οἷόςτ' ἦν αὐτῷ ἀποδοῦναι ὁ Ἀρχέπολις οὔτε τὸν τόκον οὔτε τὸ ἀρχαῖον, ἅπαν ἐναπετίμησεν αὐτῷ.* Schaeferus hunc locum ita explicat, ut prorsus assentiaris. Dicit enim: „— Periodum ita inceperat orator, ut qui sic esset finiturus: *εἰς ἀποτίμησιν ἅπαντος ἔλαβεν.* Iam interserta illa, *ἐπειδὴ — τὸ ἀρχαῖον,* effecerunt, ut exordii oblitus in fine ad alterum subiectum, utpote propius, deerraret." Nam haec est sententia: „Servum illum pro tota pecunia dedit Archepolis Arethusio." Hoc modo defendit Schaeferus or. adv. Polyclem §. 52. p. 1222, 23. *τὴν μὲν γὰρ τοῦ Θρασυλόχου τοῦ Ἀναγυρασίου τριήρη, ἐφ' ἧς αὐτὸς ἔπλει, τὸν Θρασύλοχον πείθει τῷ Καλλίππῳ μισθῶσαι*

τὴν τριηραρχίαν. Hic vides in locum vocis praegressae *τὴν τριήρη* nunc successisse *τὴν τριηραρχίαν*, ita ut iam mutata constructione ille accus. suspensus sit. Ita omnino orti sunt casus, qui dicuntur absoluti. V. or. pro corona trierarch. §. 4. p. 1229, 16. *Τὰ σκεύη τοίνυν, ὅσα δεῖ παρέχειν τὴν πόλιν τοῖς τριηράρχοις, ἐγὼ μὲν ἐκ τῶν ἰδίων ἀνήλωσα.* Denique vide Schaefer. ad or. contra Theocr. p. 1342, 15. §. 65. Bekk.

Orat. adv. Leptin. §. 120. p. 493, 23.

Τί γὰρ ἔσται πιστότερον τὸ τῆς εἰκόνος ἢ τὸ τῆς σιτήσεως ἢ τὸ τῆς ἀτελείας etc.

Fridericus Aug. Wolfius tam pauca futuris huius orationis interpretibus corrigenda, explicanda, defendenda reliquit et si quae relicta essent, Schaeferus eo eventu praeripuit, ut nihil iam nisi res levissimas possis afferre, ubi a sententia horum virorum discesseris. Unum leve quidem sed non levissimum hoc est, quod iam videbimus. Leptines legem, qua omnem immunitatem sustulerat, diligentissime defendere studuit multisque argumentis eius utilitatem probare. Ita hoc quoque contendit, *ἀτέλειαν* quidem illam, minime autem alios honores, quibus respublica cives bene meritos ornare soleat et possit, velle se abrogatos. Adversatur Demosthenes; uno enim honore si respublica privaverit cives, reliquos etiam suspectos fore. *Τί γάρ,* pergit, *ἔσται πιστότερον τὸ τῆς εἰκόνος ἢ τὸ τῆς σιτήσεως ἢ τὸ τῆς ἀτελείας —;* Quorum verborum sensum intellexit rectissime Reiskius: alterum *ἢ* enim „aut", alterum „quam" significare dixit. Minus recte Wolfius locum ita explicat: „Quid horum, dico statuae honorem vel ius epulandi vel immunitatem, quid horum certius et stabilius manebit, si immunitatem adimere placuerit?" At si immunitas id ipsum est, quod Leptines tollere conatur, quomodo inter ea posset numerari, quae erunt incerta? Deinde Wolf. ad sententiam suam sustentandam pronomen *ἣν* explicat *εἰ ταύτην*, quod quomodo fieri possit, non ostendit. Denique *Τί γὰρ* est: „Quomodo enim —?" Vidit haec omnia Schae-

ferus, sed scripsit ita: *τὸ τῆς εἰκόνος καὶ τῆς σιτήσεως ἢ τὸ* etc. August. I. enim atque e Bekkerianis codd. *ks τὸ* ante *τῆς σιτ.* omittunt. Hunc articulum a Reiskio deletum revocavit Bekk., cum si *ἤ*, non *καὶ*, legis, ex regula sit positus. Sed vides duplicem particulae *ἢ* vim offendisse Schaeferum immemorem Homerici dicti:

βέλτερον ἢ ἀπολέσθαι ἕνα χρόνον ἠὲ βιῶναι
ἢ δηθὰ στρεύγεσθαι ἐν αἰνῇ δηϊοτῆτι etc.

Deinde Dem. in hac ipsa or. §. 44. p. 470. init. dicit: *Πῶς ἂν ἄνθρωπος μᾶλλον φανερὸς γένοιτο εὔνους ὢν ὑμῖν ἢ πῶς ἧττον ἄξιος ἀδικηθῆναι ἢ πρῶτον μὲν εἰ* etc. —. Omnino illud cogitandum, quam diligentes fuerint veteres in pronuntiandis verbis.

Orat. in Midiam §. 16. p. 519, 23.

— *ἀλλ' ἃ πάντες ἂν ὁμοίως ἀκούσαντες ἀγανακτήσαιτε, ταῦτ' ἐρῶ.*

Paris. I. Reiskii, apud Bekk. Y. om. *ἀκούσαντες*, in margine habet *Σ*, post *ἀγανακτήσαιτε* Aug. I. et *kr*; deinde *ἂν* abest a Paris. I. Aug. 1. et sex libris Bekk. non contemnendis. Quare magnopere vereor, ne orator ita scripserit:

„*ἃ πάντες ὁμοίως ἀγανακτήσετε ταῦτ' ἐρῶ.*"

Et primum quidem *ἂν* non ideo deleverim, quod in re certa poni nequeat, sed quod oppositionis causa melius abest. Nam haec praecedunt: (*οὐ γὰρ ἀγνοῶ τοῦθ' ὅτι*) *ὑμῖν τοῖς ἄλλοις τοῖς ἔξω τοῦ πράγματος οὖσιν οὐκ ἂν ἴσως ἄξια ταῦτα καθ' αὑτὰ ἀγῶνος φανείη*. Iam sequitur: *ἀλλ' ἃ πάντες ὁμοίως ἀγαν.* etc. Haec certius quam praecedentia debent contendi.

Quoties autem optativus aoristi cum particula *ἂν* et futurum commixta sint a librariis, inter omnes constat apparetque e libris Bekkeri *Πr* qui, quanquam *ἂν* omittunt, optativum servent.

Denique *ἀκούσαντες* a librariis additum esse censeo fortasse accusativi *ἃ* explicandi causa. Certe nullo alio modo scri-

ptura Aug. I. *ἀλλ' ἐφ' οἷς ἅπαντες ὁμοίως ἀγανακτήσετε ἀκούσαντες* explicari posse videtur. Verbi *ἀγανακτεῖν* cum accus. constructionis apud Dem. exempla v. or. de Chers. §. 55. p. 103, 12. (coll. phil. IV. §. 57. 146, 16.) et contra Conon. §. 15. p. 1261, 25. ubi v. Schaefer.

Eiusd. or. §. 16. p. 519, 27.

Ἱερὰν γὰρ (ἐσθῆτα) ἔγωγε νομίζω πᾶσαν ὅσην ἄν τις ἕνεκα τῆς ἑορτῆς παρασκευάσηται, τέως ἂν χρησθῇ.

Ita omnes libri praeter correctum *Π*, qui *ὡς ἂν* habet, unde Schaeferus *ἕως ἂν* scribendum putat. Sed sive ille librarius *ἕως ἂν* scribere, sive *ὡς ἄν*, quod tragicis usitatum, in oratorem intrudere voluit, *τέως ἂν* oratorem scripsisse apparet. Quaeritur iam, num aliis in locis Demosthenes *τέως* pro *ἕως* usurpaverit. In Olynth. II. §. 21. p. 24, 3. omnes codd. Bekk. habent: *τέως μὲν ἂν ἐῤῥωμένος ᾖ τις*, quam scripturam etiam Reiskii optimi et plurimi codd., ut Paris. I, III, VII. Aug. I. et III. Bavaric. etc. tuentur. Or. de symmor. §. 36. Reisk. et Bekk. ex optimis libris *τέως* dederunt. Or. de male gest. leg. §. 326. pag. 446, 3. *τέως ἦσαν Φωκεῖς σῶοι* omnium codd. scriptura est. Or. in Lept. §. 91. p. 484, 22. Taylorus, Reiskius et Fr. Aug. Wolfius ex optimis, Bekkerus ex omnibus libris ediderunt: *τέως τὸν τρόπον τοῦτον ἐνομοθέτουν*. Or. in Aristocr. §. 108. p. 656, 16. Bavaric. et Aug. I. et praeter *v* omnes Bekk. exhibent *τέως μὲν ἑώρων*. Porro Bekker. aut numerum aut auctoritatem codicum secutus *τέως* servavit in or. adv. Timocr. §. 63. 64. bis. 80. 81. i. e. apud Reisk. p. 721. init. et lin. 5, et 7. 726, 11 et 15. or. I. contra Aristog. §. 70. (p. 791, 13. ubi v. Schaef.), contra Aphob. §. 43. p. 857, 15. contra Dionysodor. §. 14. p. 1287, 13.

Suidas s. v. *τέως* (v. Dindorf. praef. ad Dem. p. XIII.), grammaticus in Anecd. Bekk. p. 309, 23. hunc usum particulae *τέως* probant. Maior est auctoritas scholiastae ad Plat Hipparch. p. 334 sq. Bk., qui locum or. de male gest. leg. su-

pra laudatum affert et Aristoph. Pac. 32., ubi nunc ita legitur, ut locum affert scholiastes:

τέως, ἕως σαυτὸν λάθῃς διαῤῥαγείς.

Facile ibi legi possit

τέως σεαυτὸν ἂν λάθῃς διαῤῥαγείς.

Sed de Comico non audeo quidquam contendere. In Demosthene autem iste usus certissimus videtur.

Unum scio Rauchenstein., qui hunc ionismum, quem dicit, non expellendum, sed notandum putat. (v. Jahni Annal. Ser. V, vol. I. fasc. IV. p. 397.). Contra Herm. ad Hom. hym. in Cer. 66. τοῖος, τόσος, τόφρα, τέως pro relativis non usurpata antiquioribus esse monet. Negavit hunc usum apud Demosthenem Ruedigerus ad Olynth. I. c. 7. §. 5., Schaeferus eodem loco et ad eos omnes, quos attuli, Buttmann. in indice ad or. in Mid. s. v. τέως, denique Dindorf. praef. ad Dem. p. XIII. — Bremius ad Olynth. I. §. 21. et Voemel. ad Ol. II. §. 21. litem non componunt.

Omnes opinantur ubique aut ἕως aut τέως, ἕως esse scribendum. Et sane mirum debet videri oratorem dicere modo τέως, ἕως aut tantum ἕως atque contra τέως pro ἕως idque adeo ita, ut statim sequatur more solenni τέως, ἕως, ut in Olynth. I. l. l. id quod maxime interpretes offendit. Sed mirum etiam profecto esset, si librarii qui tot locis τέως, ἕως apud Dem. reperissent, illis locis τέως intactum reliquissent, nisi oratori hunc usum esse proprium intellexissent. Deinde verisimile non est τέως ubi ita usurpetur, ortum esse e commixtis vocibus τέως, ἕως, cum si τέως sigla essent earum particularum, ubique ubi τέως, ἕως legitur, τέως in libris esse deberet.

Id ipsum autem, quod orator non ubique τέως ita posuit, sed et ἕως simpliciter et τέως, ἕως, id ipsum, inquam, testimonio videtur esse hunc particulae τέως usum eo tempore nondum constantem et firmum fuisse, sed cepisse inde originem. Minime enim illis viris doctis assentiri possum, qui τέως hanc quoque ob causam damnant, quod ionicam formam in attica dialecto reperiri absurdum sit. Id vero mirum et intolerabile esset. Imo quotidiano usu et in vita communi factum esse puto, ut particula demonstrativa pro relativa aut potius relativa omissa demonstrativa tantum poneretur, ut nos „so lange“ et „so lange als“ sine ullo discrimine usurpamus. Quam multa autem e vita communi in suam orationem veteres scriptores praesertim oratores transtulerint, nemo ignorat. Denique si quis quaerat, unde ille usus particulae τέως originem potuerit ducere, ad id quoque non sine verisimilitudine responderi potest. Τέως absolute poni significans „aliquamdiu“ constat. Praeivit Homerus; sed ἕως quoque hoc modo usurpatur. Inde factum puto, ut etiam in sententiis correlativis, quae protasi et apodosi constant, τέως pro ἕως paullatim poneretur.

Eiusd. or. §. 27. p. 523, 13.

Φεύγοντος γὰρ οἶμαι καὶ ἠδικηκότος ἐστὶ τὸ τὸν παρόντα τρόπον τοῦ μὴ δοῦναι δίκην διακρουόμενον τὸν οὐκ ὄνθ' ὡς ἔδει γενέσθαι λέγειν etc.

Taylor., Reisk. et Schaefer. μὴ omittendum censent, Buttm. tacitus ciecit. Seagerus ad genitivos τοῦ μὴ δοῦναι δίκην subaudit ἕνεκα, quam interpretationem sibi habeat Britannus. Insolens sane est hoc loco particulae μὴ usus, sed defendi videtur posse. Verbum enim διακρούεσθαι vim habet impeditivam atque post talia verba μὴ poni posse ipse docet Buttm. excurs. XI. ad or. Midian. Hinc plane assentior Schaefero in or. contra Timoth. p. 1190, 1. §. 19. scribenti vestigia nonnullorum codd. secuto: Τοῦ μὲν γὰρ μαρτυρίαν μὴ ἐμβαλέσθαι (vel si mavis με μὴ ἐμβ.) πρὸς τὸν διαιτητὴν παρεκρούσατο.

Iam si priorem Dem. locum consideramus, nemo, opinor, offenderet verbis ita positis: φεύγοντος καὶ ἠδικηκότος ἐστὶ τὸ μὴ δοῦναι δίκην τῷ παρόντι τρόπῳ διακρ. etc. Iam vero aut per quandam negligentiam aut ut loci concinnitati, cui quam maxime studuisse oratores constat (v. Schaefer. ad Dem. p. 253, 8.), consuleret Demosthenes, accusativus positus est, cui oppositus est alter τὸν οὐκ ὄντα. Atque ita est factum, ut, quamvis oratione mutata, negatio retineretur.

Ita particulam μὴ servari posse putavi vehementerque eam explicationem Hermanno probabilem videri laetatus sum.

§. 38. p. 526, 18.

Ἐπειθ᾽ ὁ Πολύζηλος ἐκεῖνος ὀργῇ καὶ τρόπου προπετείᾳ φθάσας τὸν λογισμὸν ἁμαρτεῖν ἔφησεν.

Sic edidit Bekkerus libros non omnino secutus. Hieron. Wolf. scripserat: φθάσαι — ἁμαρτὼν ἔφησεν, sed melius placuit ei quod coniectando assecutus est: προπετείᾳ φθασάσῃ τὸν λογισμὸν ἁμαρτεῖν ἔφησεν. Parisina eandem quam Wolfiana habet scripturam, sed φθάσας in margine. Taylorus e plurimis et praestantissimis codd. legendum censuit: φθάσας τὸν λογ. ἁμαρτὼν ἔπαισεν" idque Reisk. recepit, Bekkerus Wolfii coniecturam ἁμαρτεῖν servato participio φθάσας et verbo ἔφησεν. Dindorf. denique exhibuit: φθάσαι τὸν λογ. ἁμαρτὼν ἔφησεν. Iam videamus de libris Mss. Ἁμαρτὼν omnes omnino libri tuentur, φθάσας iam a Lambino in Lutetiana ad marginem scriptum plures et praestantiores Taylori et Reiskii libri, apud Bekk. codd. *Πυ. Σ* in γρ. προφθάσας, *F* φθασαι. Denique ἔφησεν longe plurimi habent.

Schaeferus Reiskii et Taylori rationem probat, improbat Bekk. et Dindorf., quod ἔφησεν receperint, cum hoc loco non adtineat commemorari, quid homo causatus sit, sed quid quo motu animi fecerit. At ego si quid video, illud ἔφησεν requirunt et antecedd. et seqq. πρῶτον μὲν γὰρ ὁ τὸν θεσμοθέτην πατάξας τρεῖς εἶχε προφάσεις· ἐπειθ᾽ ὁ Πολύζηλος — ἔφησεν· — ἀλλ᾽ οὐ Μειδίᾳ τούτων οὐδὲν ἔστιν εἰπεῖν. Deinde si legis ἁμαρτὼν ἔπαισεν, participium illud nemo plane requirit, ita ut aut hoc aut ἔπαισεν otiosum sit; ἔφησεν autem sententiae novam addit notionem. Sed vitupero Bekkerum omnium librorum scriptura ἁμαρτὼν spreta Wolfii coniecturam secutum, probandus huc usque Dindorfius est, qui particip. revocavit, sed vellem ad participium φθάσας adtendisset accuratius. Ita enim oratorem scripsisse puto:

φθάσας τὸν λογισμὸν ἁμαρτὼν ἔφησεν,

quod ita esse explicandum ἁμαρτὼν ἔφησε sc. ἁμαρτεῖν apparet. V. Herm. ad Vig. p. 771. — Iam vero hac scriptura recepta optime puto explicari posse lectionum varietatem. Ita intelligis quare librarii dederint inf. φθάσαι et verbum ἔπαισεν, offendentes in duplici participio, quanquam haec posterior varietas ἔπαισεν etiam ab aurium errore duci potest, cum librarii qui de verberibus dici scirent, illud scriberent.

§. 78. fin. p. 540, 1.

Τὰ δ᾽ ἔργα πάντ᾽ ἦν καὶ τὰ πραττόμενα ὑπὸ τούτου.

Omnes interpretes in praepos. ὑπὸ offendunt. Hinc Wolf. Reisk. et Schaef. eam omittendam censent, Buttm. scripsit: τὰ δ᾽ ἔργα πάντ᾽ ἦν καταπραττόμενα ὑπὸ τούτου. Mihi Bekkerus recte tuitus esse videtur vulgatam. V. Dem. or. in Timocr. §. 78. p. 725, 15. τὰς ὑπὸ τῶν ὀμωμοκότων γνώσεις, ubi iterum Taylor. et Reisk. ὑπὸ abiiciendum esse putant. Neque inutile videtur comparari (Dem.) or. contra Timoth. 1199, 7. §. 50. οὐδεὶς κίνδυνος ὑπ᾽ Ἀθηναίων ἦν, (ubi v. Schaefer.) quod Latini imitantur. V. Cic. pro Milone §. 96. *quibus ea res honori fuerit a suis civibus.*

Deinde quod ad verba τὰ ἔργα καὶ τὰ πραττόμενα adtinet, cfr. Dem. or. de Chers. §. 34. p. 98, 15. ἐν τοῖς πράγμασι καὶ τοῖς γιγνομένοις. V. or. phil. III. §. 4. p. 111, 17. et or. de symmor. §. 24. p. 184, 22.

Eiusd. or. §. 113. p. 551, 26.

— ἄτιμος ἔστω καὶ παῖδες καὶ τὰ ἐκείνου.

Schaeferus δημόσια deesse putat. Nihil deest. *Τὰ χρήματα* recte dicuntur ἄτιμα. V. Meier de bonis damnator. p. 99. et Petit. Legg. Att. p. 614. — Dem. or. in Aristocr.

§. 44 et 45. p. 634, 14. et 19. dicuntur τὰ χρήματα ἐπίτιμα. Denique ibid. §. 62. pag. 640, init. dicitur iterum: — ἄτιμον εἶναι καὶ παῖδας ἀτίμους καὶ τὰ ἐκείνου.

---

§. 127. p. 556, 18.

Δεῖ δὴ τούς γε βουλομένους ὀρθῶς τὴν κατ' ἀξίαν τῶν πεπραγμένων παρὰ τούτου δίκην λαβεῖν — οὕτω ποιεῖσθαι τὴν τιμωρίαν· καὶ τοὺς βοηθοῦντας καὶ τοὺς συνεξεταζομένους μετὰ τούτου μὴ συνηγόρους μόνον ἀλλὰ καὶ δοκιμαστὰς τῶν τούτῳ πεπραγμένων ὑπολαμβάνετ' εἶναι.

Ita locus ex optimis et longe plurimis codd. edendus est, quanquam Taylor., Reisk. et Bekkerus adversantur. Nam cum codd. Barocc. Venet. (quos Taylor. contulit), Aug. 1. et *kr* ὑπολαμβάνειν exhibeant, hanc scripturam illi editores receperunt: quod vehementer improbandum.

Facilis quidem ab infin. ad imperativ. transitus est in legibus, ut in or. Timocratea, §. 22. p. 707, 1. ὀφείλειν (δεῖ vel εἶπε vel simile quid) τῶν μὲν πρυτάνεων ἕκαστον χιλίας δραχμὰς ἱερὰς τῇ Ἀθηνᾷ, τῶν δὲ προέδρων ἕκαστος ὀφειλέτω etc. v. eiusd. orat. §. 42. p. 713. sub fin. et §. 50. p. 716, 15. Sed rectissime cum priore loco comparari potest locus ex hac ipsa or. §. 88. p. 542. fin. δεῖ δὴ τοῦτο τὸ πρᾶγμα ὑμᾶς οὑτωσὶ σκέψασθαι καὶ λογίσασθαι, τί ποτ' ἐστὶν ὃ παθὼν Μειδίας οὕτως ὠμὸν τηλικαύτην ἐπεβούλευσε λαβεῖν τῶν πεπραγμένων παρ' ἀνδρὸς πολίτου δίκην, κἂν μὲν ᾖ τι δεινόν, συγγνώμην ἔχειν, ἐὰν δὲ μηδέν, θεάσασθε etc.

Sed vide quanto opere haec liberior orationis conformatio interpretibus et editoribus offensui fuerit. In orat. contra Olympiodor. §. 57. p. 1183, 22. legimus haec:

— ἱκετεύομεν ὑμᾶς καὶ ἀντιβολοῦμεν — ἅπαντες ἡμεῖς — μάλιστα μὲν τουτονὶ Ὀλυμπιόδωρον πείσατε μὴ ἀδικεῖν ἡμᾶς, ἐὰν δ' ἄρα μὴ θέλῃ πείθεσθαι, ὑμᾶς μεμνημένους ἁπάντων τῶν εἰρημένων ψηφίζεσθαι ὅτι ἂν ὑμῖν δοκῇ βέλτιστον καὶ δικαιότατον εἶναι.

Miror ego Bekkerum recepisse Reiskii coniecturam πεῖσαι, cum omnes libri in vulgata πείσατε consentiant. In margine Lutetianae scriptum est male: ὑμεῖς — ψηφίζεσθε. Neutra mutatione opus est. Or. adv. Polyclem §. 3. p. 1206. fin. δέομαι ὑμῶν ἁπάντων δικαίαν δέησιν, (ita aut colo, non plene cum Bekkero est interpungendum) ὅσοι μὲν τῶν στρατιωτῶν ἐστὲ καὶ παρῆτε ἐκεῖ, αὐτοί τε ἀναμνήσθητε καὶ τοῖς παρακαθημένοις φράζετε τήν τ' ἐμὴν προθυμίαν καὶ τὰ συμβάντα ἐν τῷ τότε καιρῷ τῇ πόλει πράγματα καὶ τὰς ἀπορίας —, ὅσοι δ' αὐτοῦ ἐπεδημεῖτε, σιγῇ μου ἀκοῦσαι διηγουμένου. Cum utrumque dici possit „δέομαί σου ποιῆσαι τοῦτο et ποίησον τοῦτο, his in locis utraque constructio iuncta est: quae quidem duplex uno in loco constructio ne improbetur, cfr. or. adv. Aristog. II. §. 24. p. 807, 20. Πῶς δ' οὐκ ἂν εἴη τὸ συμβαῖνον ἄλογον, εἰ — ὀργίζεσθε, — ἐάσετε; καὶ τὸν μὲν νομοθέτην — ἀπεχθάνεσθαι τοῖς φαύλοις.

Sed consideremus alia porro mutatae orationis exempla, ut interpretibus mentem quasi caecatam fuisse putes, quippe qui rem tot locis obviam aut nollent aut non possent intelligere. Nam or. adv. Steph. I. §. 51. p. 1117, 3. dicuntur haec:

Οἴομαι τοίνυν αὐτὸν οὐδὲν οὐδαμῇ δίκαιον ἔχοντα λέγειν ἥξειν καὶ ἐπὶ τοῦτο —, καὶ τοὺς δικαστὰς τοὺς τότε φήσει etc. Hanc omnium librorum scripturam cur in φήσειν mutari voluerint interpretes, non video. Or. amator. §. 18. p. 1406, 20. καίτοι τινὲς εὐδοκίμησαν ἤδη τῶν τε συμβουλευσάντων ὡς οὐ χρὴ τὰς τῶν τυχόντων ὁμιλίας προσδέχεσθαι καὶ τῶν πεισθέντων τούτοις· ἢ γὰρ πρὸς χάριν ὁμιλοῦντα τοῖς φαύλοις ἀναγκαῖον εἶναι διαβάλλεσθαι παρὰ τοῖς πολλοῖς· ἢ διευλαβούμενον τὰς τοιαύτας ἐπιπλήξεις ὑπ' αὐτῶν τῶν ἐντυγχανόντων δυσχεραίνεσθαι συμπίπτει. Hoc omnes libri scribi iubent. Bekkerus quod Hieron. Wolfius iam suaserat, συμπίπτειν dedit. Mihi non dubium videtur librorum scripturam ita posse defendi, ut auctorem huius orationis oblitum inceptae constructionis ita pergere statuamus, ac si ipsi illi quos dicit, loquerentur ita: „aut accidit, ut illi dicunt s. opi-

nantur.“ Ita fere explicandus locus, interpungendum autem post *πολλοῖς* colo. — Tuetur hunc locum alius, Demosth. contra Polycl. §. 44. p. 1220, 11. *ᾔδειν* (sic Bekker. ex optimis libris pro vulgari forma *ᾔδει* edidit) *οὖν ὅτι οὗτος μὲν παραλαβὼν αὐτὴν κακῶς ἤμελλε τριηραρχήσειν· οὔτε γὰρ τῷ τριηραρχήματι οὔτε τοῖς ἐπιβάταις καὶ τῇ ὑπηρεσίᾳ χρήσοιτο· οὐδεὶς γὰρ αὐτῷ παραμενεῖ.* Ibi vulgo legitur *παραμένει.* Wolf. scripsit *παραμενεῖ*, Reisk. de suo dedit *παραμένοι*, Bekkerus denique probante Schaefero *παραμενοῖ.* Recte omnino, quis neget? optativus positus esset. Sed cum optimus codex Σ *παραμενεῖ* praebeat, reliqui libri praesens *παραμένει*, futurum illud rectissime recipi ego censeo, quod ut explices, rursus, si placeat, perspicuitatis causa cogites: „censuit, vidit ille.“

Denique huc pertinere arbitror locum ex or. phil. II. §. 26 sequ. p. 72, 11. et seqq. *Καὶ οὐ τοῦτό ἐστιν ἄτοπον, εἰ Μεσσήνιοι καὶ Πελοποννησίων τινὲς παρ' ἃ τῷ λογισμῷ βέλτισθ' ὁρῶσί τι πράξουσιν· ἀλλ' [εἰ] ὑμεῖς — ἐκ τοῦ μηδὲν ἤδη ποιεῖν λήσεθ' ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, πάντα ταῦθ' ὑπομείναντες.* Hic interpretes post *ἀλλ'* requirunt particulam *εἰ*, quanquam nullus codex eam habet. Index Lambini tantum *εἰ* praebet idque Reisk., Bekker. et Schaeferus adsciverunt. Et sane illa particula utique necessaria videtur, si quidem altera haec sententia, quae priori quasi opposita est „*ἀλλ' ὑμεῖς* —“, pendet ex antegresso *ἄτοπον.* Sed cum nullus liber particulam suppeditet, praestare videtur, quod mihi semper visum est de eo loco, post *πράξουσιν* interpungi colo et a verbis *ἀλλ' ὑμεῖς — ὑπομείναντες* novam quandam, quae per se stet, incipi sententiam: quanquam enim arcte haec sententia cum priore erat iungenda, maluit tamen orator eam ponere per se ductus fortasse sensu quodam decori, ne auditores *ἄτοπόν τι* facere dicat.

Latinos non abstinere ab hoc usu unus Cicero multis probat exemplis. V. de orat. I. §. 12. ed. Orell. *Quod hoc etiam mirabilius debet videri, quia ceterarum artium studia fere reconditis atque abditis e fontibus hauriuntur: dicendi autem omnis ratio in medio posita communi quodam in usu atque in hominum more et sermone versatur, **ut** in ceteris id maxime excellat, quod longissime **sit** ab*

*imperitorum intelligentia sensuque disiunctum; in dicendo autem vitium vel maximum **est**.* V. ibi Orelli. Ibid. II. §. 293. considera haec: *ut — conferam tela,* quae sequitur *conor*, ubi alii legunt *coner.* V. Orell. ad libr. III. §. 123. de verbis: ***teramus** — **hauriemus**.* Offic. I. §. 8. — ***ut definiant**: medium autem officium id esse **dicunt** etc.*

Haec omnia igitur eum in finem disputata esse apparet, ut multis exemplis mutatam et sententiarum conformationem et verborum structuram firmam redderemus atque indubitatam. Sed restat aliquid quod monendum est de illo loco or. in Mid., et quod, ut tenorem in illo usu exponendo servaremus, ad finem huius disputationis seposuimus. Quod quid sit ut melius intelligatur, locum iterum describimus breviter:

Δεῖ δὴ τούς γε βουλομένους ὀρθῶς — δίκην λαβεῖν —, οὕτω ποιεῖσθαι τὴν τιμωρίαν· καὶ τοὺς βοηθοῦντας — ὑπολαμβάνετ' εἶναι.

Quos locos ex or. in Timocr. et ex hac ipsa or. in Midiam adtulimus ad defendendum id, quod de hoc postremo nobis videretur, in iis omnibus aut idem subiectum et ad inf. et ad imper. pertinet, aut si diversa sunt subiecta, et ad inf. et ad imper. diserte utrumque videmus positum esse. Id hoc loco aliter factum est. Num igitur *ὑμεῖς — ὑπολαμβάνετε* scribendum? Minime. Ita enim illi *οἱ βουλόμενοι ὀρθῶς ποι. τὴν τιμ.* praesentibus iudicibus opponerentur. At ipsi illi *οἱ βουλόμενοι* iudices esse debent et intelliguntur revera. Constat enim et Graecos et Latinos saepe enuntiationem universalem ponere, quam ad id ipsum, de quo iis propositum est dicere, pertinere velint, vel eos universe loqui, ubi unam eamque certam rem aut personam intelligant. Ita si de causa praesenti orator dicit „*τοὺς δικαστὰς δεῖ ὀρθῶς ἐξετάζειν τὰ πράγματα,*“ idem fere est quod *δεῖ ὑμᾶς δικαστὰς ὄντας* etc. Ita porro orator hoc loco *τοὺς βουλομένους* etc. illos ipsos iudices, coram quibus loquitur, intelligi vult. Hinc iam fit, ut in utraque sententia et in priori „*δεῖ δὴ* etc.“ et in altera „*καὶ τοὺς βοηθ.* etc.“ idem sit subiectum.

At si quis pertinaciter contendat esse hic subitam conversionem ad aliam personam, ne sic quidem id, quod nos voluimus, falsum est. Tales enim conversiones frequentissimae sunt. Odi illud „γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας.

Orat. in Aristocratem §. 70. p. 643, 15.

Καὶ πρῶτον μὲν παρ' ἓν τοῦτο τὸ δικαστήριον καὶ παρὰ τοὺς γεγραμμένους νόμους καὶ τἄγραφα νόμιμα τὸ ψήφισμα εἴρηται.

Sic editt. Wolfiana, Parisina, Reiskiana et Bekkeriana locum exhibent. Aug. I. *παρ' ἑνὸς τούτου τοῦ δικαστηρίου*, Bavaric. et *F* *παρ' ἓν τοῦτο δικαστήρίον*[v] habent. Reliqui Reisk. codd. omnes vulgatam tuentur eamque iure retinuit Bekkerus, quanquam optimi eius libri turbas faciunt. Nam *Y* *παρ' ἑνὸς τοῦτο τὸ δικαστήριόν*, *Σ* *παρ' ἑνὸς τούτου δικαστηρίου* et sic fere aliquot alii libri habent, ut facile oratorem scripsisse colligas: *καὶ πρῶτον μὲν παρ' ἑνὸς τούτου τοῦ δικαστηρίου καὶ τοὺς γεγραμμένους νόμους καὶ τἄγραφα νόμιμα* vel *πρῶτον μὲν ἑνὸς τούτου τοῦ δικ. καὶ παρὰ τοὺς γεγρ. νόμους* etc. Sed omnes libri duplicem servant praepositionem, ut verisimile admodum sit, turbas ortas esse a librariis qui oratorem emendare vellent, fortasse eodem modo offendentes in vulgata, quo Schaeferus, quod statim monebimus. Amant autem oratores primum rem universe ponere, deinde eius partes, ut §. 75. p. 645, 14. iterum dicitur: *τρίτον τουτὶ δικαστήριον καὶ τὰ τούτου νόμιμα.*

Sed, uti diximus, Schaeferus offendit eo, qnod dictum est: *τὸ ψήφισμα εἴρηται παρὰ τὸ δικαστήριον.* Quare vehementer ei placuit id, quod ex Augustani scriptura elici posse censuerat Reiskius: *πρῶτον μὲν παρ' ἑνὸς τούτου τοῦ δικαστηρίου τοὺς γεγρ. νόμους.* Sed quid in illa dictione, quam notavit Schaeferus, insolens sit, ego me non intelligere libere profiteor. Nam si concessum est dicere: *τὸ ψήφισμα εἴρηται παρὰ τοὺς νόμους*, quidni etiam *παρὰ τὸ δικαστήριον*? Et si Aristocrates

(§. 75. p. 645, 14.) dicitur *τρίτον τουτὶ δικαστήριον παραβεβηκώς*, quidni potest dici *τὸ ψήφισμα εἰρηκὼς παρὰ τὸ δικαστήριον*? Sed nondum, opinor, locus omni corruptela liber est: verba *παρὰ τοὺς γεγραμμένους νόμους* vitio laborant. Nam nemo non auditorum aut lectorum omnes omnino intelligit leges. At iudicii Areopagitici leges commemorandae: has descripserat orator, has laeserat Aristocrates, his aliae iam in seqq. opponuntur. Quare Reiskius iam scripsit: *παρὰ τοὺς τούτου γεγρ. νόμους.* At id certe dicendum erat *παρὰ τούτου τοὺς γεγρ. νόμους.* Ego et propter antecedentia *παρ' ἓν τοῦτο τὸ δικαστήριον* et quia ob maiorem similitudinem hoc pronomen facilius omitti potuit, scribi malim: *καὶ πρῶτον μὲν παρ' ἓν τοῦτο τὸ δικαστήριον καὶ παρὰ τούτους τοὺς γεγρ. νόμους* etc., ut cum vi quadam haec dicantur: „Hoc igitur iudicium, has leges et scriptas et non scriptas, quas exposui, Aristocrates violavit."

Eiusd. or. §. 203. p. 688, 11.

Τὸ τελευταῖον δὲ νῦν ἐπειδὴ Κερσοβλέπτην ἠξίουν ὧν αὐτοῖς ἐδόκει —, προςτιθέασι δύο αὐτῷ, τὸν μὲν ὅσα ὑμεῖς ἀκηκόατε εἰργασμένον κακά, τὸν δ' ὅλως ὃν οὐδεὶς οἶδεν ἀνθρώπων τίς ἐστιν etc.

Apparet, alteram orationis partem *τὸν δὲ* — si orator priori adaequare voluisset, scribendum fuisse *τὸν δὲ ὅλως οὐδενὶ ἀνθρώπων ἐγνωσμένον s. γνώριμον*: sed solvit hoc participium sententia relativa *ὃν — οἶδεν.* Iam vero *ὃν* deest in tribus optimis codd. Bekkeri *ΣΥΩ*, quare ego relativum sine cunctatione delendum puto.

Duo in promptu sunt loci, ubi eadem brevitate usus est Demosthenes. Or. in Mid. §. 218. p. 584, 15. *οὐ γὰρ ἐκ πολιτικῆς αἰτίας οὐδ' ὥςπερ Ἀριστοφῶν ἀποδοὺς τοὺς στεφάνους ἔλυσε τὴν προβολήν, ἀλλ' ἐξ ὕβρεως — κρίνεται.* Reiskius coniecit: *οὐδ' ὥςπερ Ἀριστοφῶν, ὃς ἀποδοὺς — ἔλυσε*, sed solennis est haec breviloquentia in formula *οὐχ ὥςπερ.*

V. Heindorf ad Plat. Gorg. §. 163. Protagor. §. 77. — Deinde or. in Androt. §. 17. p. 598, 23. *ὡς οὐχ ἡ βουλὴ γέγονεν αἰτία —, ἀλλ' ὁ τῶν τριηροποιῶν ταμίας — ᾤχετο.* Vulgo *ὃς* post *ταμίας* inserebatur, quod uncis inclusit Reiskius, delevit plane Bekk. nullo in libro repertum.

---

§. 205. p. 688, 26.

Κίμωνα ὅτι τὴν Παρίων μετεκίνησε πολιτείαν ἐφ' ἑαυτοῦ, παρὰ τρεῖς μὲν ἀφεῖσαν ψήφους τὸ μὴ θανάτῳ ζημιῶσαι etc.

Sic Bekkerus edidit e duobus codd.; reliqui omnes habent *τὴν πάτριον*. Utraque scriptura tantas difficultates obiicit, ut qui hunc locum illustraverit, bene de oratore clarissimo meritus censendus sit. Schaeferus tantum haec scribit: „*Παρίων* Bekker. non sine librorum fide. Res quod sciam aliunde non cognita.“ Neque ego locum quemquam reperire potui, ubi huius rei facta esset mentio. Sed quaero etiam ubinam locus sit veterum scriptorum, e quo Cimonem rempublicam Atheniensium turbasse et propterea quinquaginta talentis multatum esse perspicue appareat.

Boeckh. Oecon. polit. I. p. 414. hunc locum laudans dicit: „Cimon selbst wurde wegen angeblicher Versuche zu einer Staatsveränderung beinahe mit dem Tode bestraft und konnte sich glücklich schätzen, funfzig Talente zu bezahlen.“ — Quam ob causam Boeckh. adiecit illud „angeblicher“? Vellem aut paullo dubitantius de ea re locutus esset aut, quod magis optandum quodque vir egregius, cui tam largi scientiae aperti sunt fontes, prae ceteris agere debuit, rem ad liquidum perduxisset.

Meier. de bonis damnatorum p. 5. hanc rem ut notam refert. Quare quid narrare possit Demosthenes, paucis videamus.

Diversae sunt antiquorum narrationes de Cimonis multis et exsilio. V. Meier. l. l. Alii enim (v. Plutarch. Cim. c. IV. et XV.) propter rem, quam cum Elpinice, sorore, habuerit, e patria expulsum esse commemorant, alii eum propterea quinquaginta talentis multatum. Propius ad rem accedit Cyrill. adv. Iulian. VI. p. 188. ed. Spanhem. *Κλέωνος γραφὴν αὐτῷ (Κίμωνι) τυραννίδος ἐνστησαμένου ἥλω τε Ἀθήνησιν ἐπ' αὐτῷ δὴ τούτῳ κρινόμενος καὶ δίκας ἐκτέτικε τὰς ἀπὸ τῶν νόμων.* Sed unde haec hausit Cyrillus?

Deinde Plutarchus (Cim. c. XV. Pericl. c. VII.) Cimonem aristocratiae et Areopagi defensorem fuisse dicit atque Lacedaemoniorum partibus studuisse. Hinc etiam ostracismo patria expulsus est ut *φιλολάκων καὶ μισόδημος*. V. Plut. Cim. c. XVII. Pericl. IX. Sed nihil plane hic de novis rebus, quibus Demosthenes Cimonem studuisse contendit, nihil de iudicio propter eam causam instituto. Nihilo minus revera subiit causam capitalem, quod corrumpi se passus esset (v. Plut. Cim. c. 14.) eamque causam Plut. Pericl. c. X. *θανατικὴν δίκην* appellat. Effugit quidem hanc accusationem, sed quomodo, num capitis poena liberatus et quinquaginta talentis damnatus, plane nescimus.

Quid igitur, cum nusquam Cimon contra Atheniensium, multo minus contra Pariorum civitatem aliquid molitus esse dicatur, quid hoc Demosthenis loco faciamus? Vulgatam si sequimur, desunt ea de re certa veterum testimonia. Obscurior res est, si quam Bekkerus recepit amplectimur scripturam. Num Demosthenem in errorem inductum esse statuamus? Vide igitur, num qua erroris excogitari possit probabilis causa. Nota est Miltiadis accusatio. Num Miltiadis et Cimonis, quem et ipsum capitis accusatum et vix poena capitali liberatum esse sciret, causas commiscuisse orator censendus? At alius iam error apertus est. Obsedit Parum Miltiades, apud Demosthenem turbas ibi fecisse dicitur. Num orator tanto opere a vero aberrare potuit? Vix hoc credibile. Restat aliud, ut librariis istum errorem tribuamus. At haec inscientia tanta est, ut ne librariis quidem imputari posse videatur.

Quodsi illud *Παρίων* explicari nullo modo potest, confugiamus ad vulgatam scripturam: *τὴν πάτριον μετεκίνησε πολιτείαν.* „At ne hoc quidem certum. Concedo, sed longe

tamen verisimilius hoc est, quam alterum illud. Omnino quis nesciat, Cimonis historiam ne hodie quidem ita esse expeditam et illustratam, ut omnia sint certa et indubitata? Ingenue tamen fateor scripturam illorum codd. Bekkeri talem mihi semper visam esse, quae secreti aliquid contineret, quod ut aperirem, ego valide sum enixus. Sed eventus operae non favit. Quare ut viri doctiores rem componere studeant, vehementer opto.

Sed apertus est alius Demosthenis error. In eadem orat. §. 200. p. 687, 8. Perdiccas, rex Macedoniae, Persas pugna Plataeensi victos persecutus esse dicitur. At Alexander, pater eius, tum regnabat (v. Dem. p. 68, 14. 164, 20.) atque adeo in pugna Plataeensi inter Persas contra Graecos pugnavit (v. Herod. IX, 44.) et cum Artabazes, qui Mardonio interfecto Persarum dux fuit, per Thessaliam et Macedoniam profectus esset ἰθὺ τῆς Θρηϊκῆς (Herod. IX, 89.), Thraces, non Macedones eum persecuti dicuntur. Quid igitur statuendum? Alexander tum regnavit: hoc certissimum. Herod. VIII, 136. narrat Alexandrum a Persis missum esse Athenas, ut persuaderet populo de foedere cum Persis feriendo. (v. Dem. p. 68, 14.) eumque ad id munus electum esse ut πρόξενον καὶ εὐεργέτην Atheniensium. V. Herod. l. l. c. 143. Cum loco Demosthenis consentit auctor epist. Phil. §. 21. p. 164, 20. πῶς οὐ δικαίως ἡμεῖς αὐτὴν (Ἀμφίπολιν) ἔχομεν, Ἀλεξάνδρου τοῦ προγόνου πρώτου κατασχόντος τὸν τόπον, ὅθεν καὶ τῶν αἰχμαλώτων Μήδων ἀπαρχὴν ἀνδριάντα χρυσοῦν ἀνέστησεν εἰς Δέλφους; Puto igitur Alexandrum stetisse quidem a Persarum partibus, sed mox iunxisse se cum Atheniensibus illosque esse persecutum. Sed manet error Demosthenis filio, quod pater fecerat, tribuentis.

Orat. contra Timocr. §. 39. p. 712, 26.

Τῷ δὲ καταστήσαντι — ἀφεῖσθαι τῶν δεσμῶν.

Margo Benenatianae habet τὸν δὲ καταστήσαντα, quod Taylorus praefert. Reiskius utram lectionem eligas nihil interesse

putat, cum ad utramque supplendum e versu 20. sit εἶναι = ἐξεῖναι. Hanc rationem plane damnat Schaeferus, cum et ille inf. εἶναι et hic ἀφεῖσθαι et reliqui in hac lege omnes pendeant a verbo εἶπε, quod initio huius legis positum est. Cum autem illa scriptura in margine Parisinae coniectura Lambini esse videatur, nonnullorum Bekk. librorum scripturam τὸν δεσμὸν Schaefer. amplectendam censet. Sed quis nescit ο et ω in antiquis libris saepissime mutari? Itaque et illius marginis et horum codicum scriptura repudianda. Nihil mutandum, sed εἶναι ad inf. ἀφεῖσθαι et supplendum esse et facile suppleri posse arbitror. Primum enim ubi Demosthenes hanc legem affert, εἶναι addit, v. §. 77. p. 725, 4. et §. 93. p. 730. init. atque ita Libanius in argumento huius orat. lin. 6. Bekk. et auctor secundi argumenti p. 2. lin. 29. Bekk. legem laudant. Orator porro §. 86. p. 727. s. fin. et dativum τῷ καταστήσαντι et genit. τοῦ δεσμοῦ servat. Accedit, quod legis verba ipsa facile εἶναι ad hoc ἀφεῖσθαι intelligi concedunt. Iungenda enim haec sunt verba: *Τιμοκράτης εἶπεν αὐτῷ* sc. *τῷ ὀφείλοντι εἶναι ἐγγυητὰς καταστῆσαι τοῦ ὀφλήματος, τῷ δὲ καταστήσαντι τοὺς ἐγγ. — ἀφεῖσθαι τῶν δεσμῶν.* Iam vero cum de vadibus a populo eligendis sermo sit, statim legis auctor addit, illi vades a proedris confirmentur opus esse. Constructio igitur suspensa est verbis reliquae orationi insertis hisce: τοὺς δὲ προέδρους ἐπιχειροτονεῖν ἐπάναγκες, ὅταν τις καθιστάναι βούληται. Quod ut clarius fiat, lineola potest poni ita — τοὺς δὲ προέδρους etc. ὅταν — βούληται. —.

Omnino autem legum et decretorum formulas admodum negligenter et breviter compositas esse videmus, ita ut saepe non tam verba, quam sententiam spectare debeamus. In clarissimo illo heliastarum iureiurando, quod in hac orat. §. 149. seqq. affertur, leguntur p. 746, 22. haec: καὶ τύραννον οὐ ψηφιοῦμαι εἶναι οὐδ' ὀλιγαρχίαν· οὐδ' ἐάν τις καταλύῃ τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων — οὐ πείσομαι· οὐδὲ τῶν χρεῶν τῶν ἰδίων ἀποκοπὰς οὐδὲ γῆς ἀναδασμὸν τῆς Ἀθηναίων οὐδ' οἰκιῶν, ad quae verba, quanquam interposita sunt haec

„οὐδ' ἐάν τις καταλύῃ —, οὐ πείσομαι", ex antecedd. suppleri oportet: οὐ ψηφιοῦμαι εἶναι.

Eiusd. or. §. 138. p. 743, 20.

Καὶ Φίλιππον τὸν Φιλίππου τοῦ ναυκλήρου υἱὸν μικροῦ μὲν ἀπεκτείνατε, χρημάτων δὲ πολλῶν αὐτοῦ ἐκείνου ἀντιτιμωμένου παρ' ὀλίγας ψήφους ἠτιμώσατε.

Apparet loci sententiam esse hanc: Philippus capitis poena vix liberatus deinde paucis suffragiis evasit, quo minus ignominia notaretur, denique ingenti pecunia, quantae ipse litem aestimavit, multatus est. Vide de litis aestimatione Boeckhium Oeconom. polit. Athen. I. p. 410. — Sed magnopere offensae est hic locus Schaefero. Dicit enim: „Verba χρημάτων πολλῶν ἠτιμώσατε iungenda esse particulae inter se oppositae μὲν et δὲ tam manifesto docent, ut nemo semel monitus dubitare posse videatur: sin quis adhuc dubitet, discat, Demosthenem, si iunxisset χρημάτων πολλῶν ἀντιτιμωμένου, scripturum fuisse hoc ordine verborum: παρ' ὀλίγας δὲ ψήφους, χρημάτων πολλῶν αὐτοῦ ἐκείνου ἀντιτιμωμένου, ἠτιμώσατε. Sed quid sibi vult χρημάτων πολλῶν ἄτιμοῦν?" Scribendum igitur putat, quod in Σ legitur, ἐτιμήσατε hoc sensu: „per pauca suffragia stetisse, quo minus ingenti pecunia multaretur: nunc illam suffragiorum paucitatem effecisse, ut non valeret ἡ τίμησις, valeret ἡ ἀντιτίμησις."

Sed primum illa causa, quae a linguae usu depromta est, non videtur sufficere ad locum mutandum. Sine dubio orator, si accurate scribere voluisset, ita, uti iubet Schaeferus, scripsisset. Sed semel iam monui ad or. de symmor. §. 13. p. 181, 17. omnes scriptores graecos in particularum μὲν et δὲ usu et collocatione liberius interdum versatos esse, ubi totae sententiae, non verba ipsa, sibi essent oppositae. — Deinde causa mihi videtur adesse satis gravis, cur verba χρημάτων — ἀντιτιμωμένου anteposita sint. Nam poenam continent, quam reus postquam ultimo supplicio liberatus erat, luebat. Dico hoc: cum

antecedat sententia negativa (μικροῦ μὲν ἀπεκτείνατε), sequitur affirmativa priori opposita (χρημάτων πολλῶν ἀντετιμᾶτο) atque totus locus aliter conformatus hic erit: Φίλιππον — μικροῦ μὲν ἀπεκτείνατε, χρημάτων δὲ πολλῶν, *παρ' ὀλίγας ψήφους ἀτιμωθεὶς*, αὐτὸς αὑτοῦ ἀντετιμᾶτο. Sed oratione inversa id, quod iudices paene decrevissent, verbo finito ponitur, ut id poenae quam antea statuerant, opponatur.

Quod denique adtinet ad illud ἐτιμήσατε, quod e codice Σ recipiendum esse dicit Schaeferus, nescio num probari possit. Multo enim gravior et ad severitatem iudicum significandam aptior est vulgata scriptura ἠτιμώσατε. Accedit quod vix hoc verbum librariis deberi posse videtur, debetur sine dubio scriptura ἐτιμήσατε.

Eiusd. orat. §. 171. p. 753, 17.

— δι' ἃ πολλῷ μᾶλλον ἂν εἰκότως μὴ θελήσαντες ἀκοῦσαί σου (Timocratem dicit orator) *θάνατον καταψηφίσαινθ' οὗτοι ἢ δι' Ἀνδροτίωνα ἀφίεσαν.*

Hier. Wolf. scripserat ἀφείησαν, Reiskius ex Aug. I. Bavarico et Aldina ἀφίεσαν, idque omnes tuentur Bekk. codd. (praeter correctum *v*, qui ἀφείησαν habet). Schaeferus mavult ἀφεῖεν. Sed imperfectum rectissime positum atque gravius optativo est. Dicitur hoc: οὐκ εἰκότως δι' Ἀνδροτίωνα ἀφίεσαν ἄν σε, ὦ Τιμόκρατες, quibus verbis orator significat persuasum sibi esse iudices Timocratem non esse absoluturos aut certe non iure. Nam id spectat orator, ut Timocrates damnetur. Altera sententia haec est: διὰ ταῦτα ἃ ποιεῖς εἰκότως ἂν θάνατόν σου καταψηφίσαιντο, quibus verbis Demosthenes dicit fieri posse, ut iudices vitam rei spectantes non sine iure capitis eum condemnent. Dubitanter igitur haec profert, illud alterum autem ut certum. Nos haec ita exprimimus: „weswegen sie wohl, ohne dich anzuhören, den Tod dir mit grösserem Rechte zuerkennen möchten, als sie dich des Androtion wegen lossprächen." Itaque optativi et imperfecti coniunctio, (quanquam quo alio

loco id fiat, nunc nescio, sed vide Hermanniana ad Vig. 813.) plane nihil habet, quo improbetur.

Eiusd. or. §. 217. p. 767, 10.

Οὗτος τοίνυν ἐν τούτῳ τῷ νόμῳ φαίνεται κακῶς ἐπιχειρῶν ὑμᾶς ποιεῖν, δι᾽ οὗ τοῖς ἀδικεῖν ἐπιχειροῦσιν εἰσὶν αἱ τιμωρίαι.

Hunc locum intelligi non posse apparet. Quare Iurinus legi voluit: *δι᾽ οὗ — ἄκυροι εἰσὶν αἱ τιμωρίαι.* Lambinus *οὐκ* ante *εἰσὶν* addidit. Reiskius aut *ἄκυροι* aut *φροῦδοι* post *ἐπιχειροῦσιν* addi aut legi iussit ita: *φαίνεται κακῶς ἐπιχειρῶν ὑμᾶς ποιεῖν τούτους* (sc. *τοὺς νόμους*) *ἀνελὼν, δι᾽ ὧν*—. Schaeferum velles non tacuisse. Bekkerus haec tantum ad h. l. scribit: „*οὐκ εἰσὶν* mgΩ." Equidem plane despero de hoc loco. Venit aliquando in mentem hoc: „— *φαίνεται κακῶς ἐπιχειρῶν ὑμῖν ποιεῖν, δι᾽ οὗ* —." ut suppleatur ante *δι᾽ οὗ τοῦτο*, (ut in huius or. §. 175. *εἰ νῦν πρᾴως οἴσετ᾽ ἐφ᾽ οἷς τότ᾽ ἠγανακτεῖτε*). Illud *τοῦτο* autem volui intelligi ita, ut significet id, quod quasi omnium legum est fundamentum (nos: das Princip, die Idee der Gesetze), atque eodem modo dictum esset, quo §. 65. p. 721, 20. *κακουργῶν τοὺς νόμους εἴληπται* dicitur. Sed illud *ὑμῖν* languere lubentissime concedo. Nunc vero illud *ὑμᾶς* plane omittendum, deinde, ne amphibolia oriatur, *δι᾽ ὧν* legendum, locum autem ita, ut supra volui, intelligendum esse censeo. Quomodo *ὑμᾶς* ortum sit, facile patet. Desideraverunt librarii accusativum.

Haec scripsi, non quod prorsus vera haberem, sed ut certe aliquid de eo loco proferrem hanc inprimis ob causam, quia, ut militum duces, quando hostium terram occupare conentur, nullum post se relinquant locum, quo non potiti fuerint, ita ego aegerrime fero, in tractando scriptore locum omisisse, in quo vires meas certe non essem expertus.

Restat autem, ut quaenam a §. 215 — 217. dicantur, pau-

cis explicem ad id tuendum, quod scripsisse oratorem conieci. Civitas tum demum crescere suamque potentiam augere potest, si ea, quae possidet, secundum leges gubernantur. Ab iis autem inprimis salus civitatis pendet, quae malos puniunt, probos praemiis et honoribus ornant. Quare si omnes homines illorum honorum avidi virtuti student et metuentes poenam malo abstinent, nihil impedit, quo minus civitas per leges illas fiat potentissima. Nostra civitas magnis floret opibus, quae servantur legibus et per eas administratae et adhibitae utiles erunt. Contra si probi nullum virtutis suae percipiunt fructum, mali autem impune peccant, illae leges tolluntur, opes civitatis inutiles erunt. Quare omnium maxime ii puniendi sunt, qui illas leges laedunt. Timocrates autem, qui *ἄδειαν* decernit iis, qui aliquid mali commiserint, rationem tollit, per quam legibus puniri institutum est.

Or. contra Zenothemin §. 19. p. 887, 15.

Ὁ γὰρ αὖ Πρῶτος διεμαρτύρετο ἐξάγειν βεβαιοῦν, ἀναπλεῖν ἐθέλειν εἰς τὴν Σικελίαν.

Wolfius et Reiskius quomodo studuerint hunc locum explicare aut emendare, vide apud ipsos. Schaeferus simplicissimam iniit rationem. Nam quod margo Lutetianae suppeditat *βεβαιῶν*, recipiendum esse censet hoc sensu: „Contestabatur, ut educerem, recipiens se navigaturum esse." Affert quod or. de Halon. p. 79, 5. §. 9. Bekker. legitur: *βεβαιοῦτε δικαίως αὐτὴν ἐκεῖνον καὶ λαβεῖν καὶ κεκτῆσθαι.* Ego addo hunc locum: or. de male gest. leg. §. 137. p. 383, 20. *ἐπειδὴ παρ᾽ ὑμῖν ἐπύθετο αὐτὸν τεθνεῶτα καὶ οὐδὲ τοῦ ζῆν ὄντα κύριον αὐτῷ βεβαιῶσαι, μή τί γ᾽ ἃ ἐκείνῳ τόθ᾽ ὑπέσχετο πρᾶξαι*, ubi apparet *βεβαιοῦν ζῆν* esse „vitam servare", *βεβαιοῦν πρᾶξαι* autem commode nos exprimimus „es durchsetzen, das Versprochene auszuführen." Eodem autem modo *ἐξάγειν βεβαιοῦν* dictum esse puto et deinde *ἀναπλεῖν ἐθέλειν* per se positum. „At obstat asyndeton." Equidem minime in eo offendendum esse puto, cum motus quidam animi

his verbis significetur. Vide quomodo nostrates in re simili dicerent: „Er betheuerte, dass er es durchsetzen werde, den Mann aus dem Schiffe zu treiben, dass er nach Sicilien reisen wolle.“

Aliter statuit de hoc loco Hermannus, qui asyndeto locum hic esse posse negans iungit haec: *διεμαρτύρετο ἀναπλεῖν ἐθέλειν εἰς τὴν Σικελίαν, ἐξάγειν βεβαιοῦν* i. e. *ὥςτε βεβ. ἐξάγειν.* Mihi haec verborum explicatio aliquid incommodi habere videtur.

Or. contra Lacrit. §. 31. fin. p. 933, 17.

Καὶ ταῦτα ἔφασαν πάντα ἀντιφορτισθέντα μέλλειν αὐτὰ ἄγειν Ἀθήναζε etc.

Αὐτὰ omnes interpretes male habuit. Hier. Wolfius correxit *αὐτοὺς*, Reiskius *αὐτοὶ*, quod quomodo hic dici potuerit ego non video. Schaeferus denique in verbis *αὐτὰ ἄγειν* inesse coniicit *ἀπάγειν.* At vulgata sanissima hancque meam sententiam firmavit Hermannus. Constat pronomen demonstrativum non adeo raro poni post substantivum, ubi per intercapedinem verborum interrupta est oratio. V. Soph. Trach. 286. et Matth. gr. Gr. §. 472, 1. Bernhardy synt. p. 290. Sed videmus etiam per negligentiam pronomen iteratum. V. Matth. l. l. observat. 6. ipsumque Schaefer. ad Dem. p. 1400, 6. Ad hos locos pertinere arbitror eum, de quo dicimus. Iam vide, num forte participium effecerit, ut *αὐτὰ* poneretur. Ita enim orator rem animo conceperat: *καὶ ταῦτα ἔφασαν πάντα ἀντιφορτίσαι καὶ μέλλειν αὐτὰ ἄγειν Ἀθήναζε.* Quid? quod adeo illud *αὐτὰ* cum vi quadam poni videtur significans: „ipsa.“ Nam haec denique exsistit sententia: „Atque haec se in locum mercium divenditarum coëmisse et in navem imposita Athenas importare sese velle dicebant ipsa.“ Hoc enim intelligitur, has ipsas merces Athenas deduci, non iterum divendi. — Ita pronomen *αὐτὰ* tantum abest ut eiiciatur, ut satis gravis sit causa, cur posuerit orator.

Or. pro Phormione §. 2 — 3. p. 944, 26.

Ταῦτα πάντα πεποιηκὼς Φορμίων οὑτοσὶ καὶ πολλὰ μὲν εὖ πεποιηκὼς Ἀπολλόδωρον τουτονί, πάντα δὲ — διαλύσας καὶ παραδοὺς δικαίως καὶ πάντων ἀφεθεὶς μετὰ ταῦτα τῶν ἐγκλημάτων, ὅμως, ὡς ὁρᾶτε, ἐπειδὴ φέρειν τοῦτον οὐχ οἷός τ' ἐστί, δίκην ταλάντων εἴκοσι λαχὼν αὐτῷ ταύτην συκοφαντεῖ.

Apollodorus, filius ditissimi illius foeneratoris, Pasionis, Phormionem libertum patris eundemque post mortem Pasionis matris maritum accusaverat, quod patrimonii partem sibi vindicasset; sed gratia inter eos reconciliata Phormio Apollodoro satis magnam solverat pecuniam. Nihilo minus Apollodorus denuo hac de re instituit litem, quare Phormio exceptione uti coactus est.

Nemo autem non haec legens haeret. Mutatio subiecti quidem (nam ad participia *Φορμίων* intelligendus est, ad *συκοφαντεῖ Ἀπολλόδωρος*) non est offensae: usitatissima enim est. Sed collocatio verborum: „*ταῦτα πάντα πεποιηκὼς — καὶ πάντων ἀφεθεὶς ὅμως — ἐπειδὴ — ἐστί —, συκοφαντεῖ*“ insolens sane est. Nemo enim non post particulam *ὅμως* idem exspectat esse subiectum, quod est in protasi, et aliquod verbum sequi in apodosi, quod referatur ad participia. Nunc autem *ὅμως* inter verba, quae ad protasin pertinent, interiectum incipit apodosin protasi nondum absoluta. Id Reiskius (nam de Wolfio tacere liceat) quomodo expediret, nescivit. Schaeferus autem *πεποίηκε*, quod legitur in August. I. eiusque sectatore, cod. Bekk. r, veram scripturam, *καὶ* ante *πολλὰ — πεποιηκώς* delendum et ante *ὅμως* plene interpungendum esse censet. Equidem illud *πεποίηκεν* aut e compendio scribendi aut ex emendatione ortum esse totumque locum recte explicari posse puto. Orator enim magis *τὰ σχήματα τῆς διανοίας* quam *τῆς λέξεως* sectans ita, uti sententia requirit, verba iunxit. Sententia autem haec est: Quanquam Phormio omnia rite fecit beneque meritus est de Apollodoro, iste tamen eum accusat. — Quod cum illis participiis significetur, *ὅμως* statim post ea ponitur, quo apodosis, in qua ingratus et iniustus Apollodori animus describitur, gravius notetur. Sed addit deinde

orator causam, ob quam reus accusetur, ἐπειδὴ φέρειν τοῦτον οὐχ οἷός τ' ἐστί, quia nimium postulat Apollodorus, nimis vexat Phormionem isque hoc non potest tolerare.

Duplex igitur sententia in unum est iuncta: „Quanquam haec fecit Phormio, nihilo minus litem instituit Apollodorus", altera haec est: „Quia reus Apollodorum diutius non potuit tolerare, accusavit eum Apollodorus." — Nemo autem offenderet, si haec diceret orator: πάντα πεποιηκὼς — ἐπειδὴ φέρειν τοῦτον οὐχ οἷός τ' ἐστὶ, δίκην — λαχὼν — συκοφαντεῖ. Nunc ut apodosis gravius notetur, ὅμως insertum est.

Eiusd. orat. §. 55. fin. et §. 56. p. 961, 22.

Τούτων τοίνυν τῶν μαρτυριῶν ἀκούσαντες γνώσεσθε τὸν ἑκατέρου τρόπον. Μαρτυρίαι. Ἴθι δὴ καὶ τὰς πρὸς Ἀπολλόδωρον τῆς πονηρίας. Μαρτυρίαι. Ἆρ' οὖν ὅμοιος οὑτοσί, σκοπεῖτε. Λέγε. Μαρτυρίαι. Ἀνάγνωθι δὴ καὶ ὅσα δημοσίᾳ χρήσιμος τῇ πόλει γέγονεν οὑτοσί. Μαρτυρίαι.

Difficillimus est hic locus magnaeque obnoxius dubitationi. Reiskius, ubi prima testimonia recitantur, haec notat: „Non video, quare hi testes producantur, qua de re testaturi. Non enim de Apollodori testantur improbitate — nam de ea testantur testimonia, quae v. 22. iubentur recitari —, neque de Phormionis probitate, cuius demonstrandae ergo v. 24. testes producuntur." Probat haec Schaefer. ideoque μαρτυρίαι primo loco et καὶ (ad verba ἴθι δὴ καὶ —) deleri vult. Simul autem requirit imperativum, unde pendeat accus. τὰς πρὸς Ἀπολλ., ut ἴθι δὴ λέγε. Sin offendat πρὸς Ἀπολλ., scribi posse: ἴθι δὴ τὰς τῆς Ἀπολλοδώρου πονηρίας sc. μαρτυρίας.

Quam violenta sit haec mutatio, quivis videt. Sed quomodo vulgata defendi possit, mente non assequor. Nam si statuis, quoniam §. 55. fin. dixit orator ὁ δὲ μηδένα μηδὲν ἠδικηκὼς sc. Φορμίων, πολλοὺς δὲ εὖ πεποιηκὼς etc., prima testimonia demonstrare, neminem a Phormione esse laesum, tertia, multos ei

beneficia debere, id profecto parum verisimile est. Nam hoc non dubito apertius et accuratius oratorem fuisse dicturum. — Videamus igitur quid fieri possit.

Primum apparet illud καὶ (ἴθι δὴ καὶ-) requirere alia testimonia, quae praecesserint opus est. Deinde tum demum recte dici potest „ἆρ' οὖν ὅμοιος οὑτοσί, σκοπεῖτε" si et de Phormione et de Apollodoro testimonia fuerint recitata. Statuo igitur prima testimonia de Phormione, altera de Apollodoro agere. Sed quid sibi vult λέγε. Μαρτυρίαι.? Haec quid probant? Vide ne hic vitii causa lateat. Nam haec verba delenda puto atque addita a librariis, qui antecedd.: ἆρ' οὖν ὅμοιος οὑτοσί, σκοπεῖτε falso intellexissent atque sequi testimonia de Phormione opinarentur. Restant igitur haec: Μαρτυρίαι. Haec testimonia Phormionis probitatem laudant. Sequuntur deinde haec: Ἴθι δὴ καὶ τὰς — πονηρίας. Μαρτυρίαι. Ἆρ' οὖν ὅμοιος οὑτοσί; σκοπεῖτε. Ἀνάγνωθι δὴ καὶ etc.

Imperativo λέγε, quem Schaeferus ad accus. τὰς πρὸς Ἀπολλ. etc. requirit, opus esse mihi non videtur. Cfr. or. in Leptin. §. 84. et 86. et or. adv. Apatur. §. 3. Nam auditores ut in re usitatissima oratoris mentem facile perceperunt. Deinde non offendo eo, quod ad prima testimonia nihil additum est eiusmodi „τῆς Φορμίωνος ἀρετῆς". Audiverunt enim iudices, qua de re prima scripta essent testimonia. Denique sanissima sunt verba τὰς πρὸς Ἀπολλόδωρον τῆς πονηρίας. Primum enim per se dictum est τὰς πρὸς Ἀπολλόδωρον, deinde explicationis causa sequitur hoc: τῆς πονηρίας.

Orat. contra Boeot. de nomine §. 7. p. 996, 18.

Plango, attica mulier, filium, Boeotum, e Mantia concepisse se dixit. Qua re fretus Boeotus Mantitheum se appellabat, quo nomine genuinus Mantiae filius vocabatur. Itaque lis orta est inter eos de nomine et accusator, Mantitheus, qui vere hoc nomen a patre acceperat, hoc loco damnum, quod oriturum esset, si duo homines uno appellarentur nomine, multis verbis explicat. Dicit haec:

Πρῶτον μὲν γὰρ, εἰ δεῖ τὰ κοινὰ τῶν ἰδίων εἰπεῖν πρότερον, τίν' ἡμῖν ἡ πόλις ἐπιτάξει τρόπον, ἄν τι δέῃ ποιεῖν; ἢ οἴσουσι νὴ Δία οἱ φυλέται τὸν αὐτὸν τρόπον ὅνπερ καὶ τοὺς ἄλλους;

Reiskius in fine huius sententiae signum interrogationis posuit. Bekkerus et Schaeferus plene interpungunt. Quod si fit, *ἢ* ferri nequit: quare Schaefero hanc particulam ut ex antecedente littera natam deleri placet. Sententia tum esset *ὑποφορά*, ut p. 997, 7. §. 9. *προςγράψουσι νὴ Δία* etc. Ac sane nihil frequentius illa formula *νὴ Δία* in hypophorico elocutionis schemate. Sed obstat illud *ἤ*, quod non temere eiiciendum. Quomodo Bekkerus, qui aliter interpunxit, particulam interpretetur, ego non perspicio, nisi statuat oratorem oblitum esse priori sententiae aliam opponere. Huius autem rei nullum est indicium, imo orator ipse dicit nescire se, quomodo tribules se ipsum et Boeotum nominaturi sint in magistratibus creandis, cum si vulgarem modum sequerentur, utrum intelligerent, dubium foret. — Quare probanda unice videtur Reiskii interpunctio. Simillimus locus est infra §. 10. *φέρε, εἰ δὲ κριτὴς καλοῖτο Μαντίθεος Μαντίου Θορίκιος, τί ἂν ποιοῖμεν; ἢ βαδίζοιμεν ἂν ἄμφω;*

Iam vero cum *νὴ Δία* affirmandi vim habeat, quaeritur num in interrogatione locum tenere possit. Aio. Haec enim inde nascitur sententia: „An tribules, quod per Iovem factum iri puto, etc.“ Nam in ea quaestione simul inest affirmatio, rem ita se habere, ut apud Latinos in interrogationibus, quae per particulam „nonne“ incipiunt. Alia interrogationis forma est §. 10, quam supra laudavi: *Πρὸς Διὸς ἐὰν δ' ἀρχὴν ἥντινοῦν ἡ πόλις κληροῖ —, τῷ δῆλος ὁ λαχὼν ἡμῶν ἔσται;* i. e. Quo tandem modo, obsecro, apparebit —? V. Soph. Oedip. R. 1459. Arist. Nub. 207. Cic. offic. III §. 83. *Potest enim, Dii immortales, cuiquam esse utile foedissimum et teterrimum parricidium patriae etc.?*

Or. adv. Boeotum de dote §. 25. p. 1016, 8.

— οὔτε Μενέξενον καὶ Βάθυλλον εἰκός ἐστιν αὐτούς τε οὐσίαν πολλὴν κεκτημένους καὶ Κλεομέδοντος τελευτήσαντος κομισαμένους τὴν προῖκα ἀποστερῆσαι τὴν ἀδελφὴν τὴν αὑτῶν, ἀλλὰ προςθέντας αὐτοὺς ἐκδοῦναι τῷ ἡμετέρῳ πατρί, καθάπερ καὶ αὐτοὶ πρὸς ὑμᾶς καὶ οἱ ἄλλοι οἰκεῖοι μεμαρτυρήκασιν.

Mantitheus matrem talentum accepisse a patre dotem demonstraturus et testimoniis utitur et ratiocinationibus: hoc loco probare studet matrem, cum divites haberet fratres, non verisimile esse ab illis dote privatam esse, sed illos potius *προςθέντας ἐκδοῦναι*. Ad haec verba Reiskius de suo *ἂν* adiecit, quod Schaeferus probat, cum e §. 7. p. 1010, 6. feminam solum talentum dotis loco a fratribus accepisse pateat. Recte hoc contendit, sed dicitur eo loco tantum hoc, fratres restituisse mulieri talentum a patre acceptum (v. §. 6.), quare orator dicit: *τὸ τάλαντον ἐπιδόντων*. Illo igitur loco simpliciter narrat orator, quantam dotem a patre acceperit mulier, hic autem demonstraturus fratres eam pecunia non privasse monet eos addidisse adeo aliquid quantulumcunque. Ut enim fit in tali re, multis pusillis rebus opus est ad vitam et ad domesticum usum neque earum pretium accurate et anxie perpendimus, sed multum amoris eo ostendunt parentes, quod etiam illarum rerum usum liberis suppeditant. Hoc igitur fratres istius mulieris fecerunt; accusator autem meram sive enumeratam, uti Cicero dicit, pecuniam, quam mater secum duxerat, exigit.

Deinde videamus Reiskii explicationem; oratorem id dicere putat: *προςθέντας ἂν ἐκ τῶν ἰδίων, εἰ μὴ αὐτὴ εἶχεν*. At si ista mulier nihil habuit, quomodo illi *προςτιθέναι* potuerunt? Quare certe *ἐπιδόντας ἂν* dicendum fuisset. Denique miro modo dictum esse videtur *εἰκός ἐστι προςθέντας ἂν αὐτοὺς ἐκδοῦναι, καθάπερ καὶ αὐτοὶ πρὸς ὑμᾶς — μεμαρτυρήκασιν*. Talia amoris testimonia si verbis tantum fiunt, incerta sunt et dubia, neque, opinor, fidem iis iudices habuissent. Quare *ἂν* rectissime Bekkerus eiecit.

Eiusd. or. §. 45. p. 1021, 26.

Ταύτην τοίνυν τὴν πρόκλησιν οὐ δεξάμενος ἀλλ' ἐνεδρεύων με καὶ τὴν δίκην ὅτι πλεῖστον χρόνον ἐκκρούειν βουλόμενος κατηγορήσει — οὐ μόνον ἐμοῦ ἀλλὰ καὶ τοῦ πατρὸς λέγων ὡς ἐκεῖνος ἐμοὶ χαριζόμενος πολλὰ τοῦτον ἠδίκησεν.

Aperte pronomen *τοῦτον* illum ipsum, qui haec dicit, significat, quare Schaeferus *πόλλ' αὐτὸν* oratorem scripsisse coniicit. Sed recte hanc coniecturam reiecit Foertsch. observatt. critic. p. 69. Satis igitur est id adtulisse. Unum hunc e Demosthene Foertsch. laudat locum, sed restituendus est hic usus oratori etiam in orat. contra Olympiodor. §. 44. p. 1179, 8. *Οὗτος γὰρ — τά τ' ἄλλα ἔλεγεν ἃ ἐβούλετο ἐν τῷ δικαστηρίῳ καὶ κατεχρήσατο πρὸς τοὺς δικαστάς, ὅτι ἐγὼ τὴν οἰκίαν, ἣν ἔλαβον ἐν τῇ μερίδι τῇ ἐμαυτοῦ, μεμισθωμένος εἴην παρ' αὐτοῦ καὶ τὸ ἀργύριον ὃ ἔλαβον —, ὅτι ἐδανεισάμην παρ' αὐτοῦ.* Ita omnes editores scripserunt, sed in Bavarico et in Bekkerianis *FΣΦ* legitur *παρὰ τούτου* idque sine dubio genuinum, sed a librariis propter antecedens *παρ' αὐτοῦ* depravatum. Deinde or. contra Theocr. §. 17. p. 1327, 5. hoc dicitur: *Ὡς οὖν καὶ παρ' αὐτοῦ Θεοκρίνου ὁμολογεῖται τούτου εἶναι τὸ ὄφλημα* etc. Hic cum recte Reiskius *τούτου* ad reum redire dixisset, Schaeferus ita oratorem scripturum fuisse *αὑτοῦ* opinatus praefert vulgatam *τοῦτ'*, quam, quod vehementer mirum, illi ipsi codd. *FΣΦ* tuentur. Sed nihilo minus *τούτου* retinendum, illud *τοῦτ'* autem e compendio ortum esse videtur.

Denique quoniam Foertsch. in exemplis colligendis acquievit, ego hunc usum non adeo reconditum explicare volo. Hoc notissimum est, apud oratores *τοῦτον* dici adversarium idque etiam iis in locis, quos explicuimus, locum habet. Iam vero quomodo *οὗτος* de eo ipso, qui dicit, usurpari possit, apparet, si morem Graecorum noveris sermonem alius ita referendi tanquam eius esset, qui rem narrat. Accedit, ut interdum, (velut in altero Demosthenis loco) verbum, unde pendet oratio, ita

sit remotum, ut reciproca sententiae vis obscuretur quasi et delitescat. Similis fere usus est, si is, qui loquitur, suo se nomine appellat, ut de se tanquam de alieno dicere videatur, ut e. g. Dem. or. de Cor. §. 304. p. 326. fin. *εἰ δὲ ἡ δαίμονός τινος ἢ τύχης ἰσχὺς ἢ στρατηγῶν φαυλότης — ἐλυμαίνετο τοῖς ὅλοις, ἕως ἀνέτρεψε, τί Δημοσθένης ἀδικεῖ;*

Or. adv. Spudiam §. 14. p. 1032, 8.

— Καίτοι τίνες ἂν ἄμεινον καὶ τῶν τούτου καὶ τῶν ἐμῶν ἐγκλημάτων τὰ μηδὲν ὄντα ἐξήλεγξαν τῶν παραγεγενημένων ἅπασι τούτοις, τῶν εἰδότων οὐδὲν ἧττον ἡμῶν τὰ γενόμενα, τῶν κοινῶν ἀμφοτέροις καὶ φίλων ὄντων;

Ita Reiskius ex Aug. I. scripsit, cum vulgo *καὶ* post *ἀμφοτέροις* omitteretur. Bekkerus quoque ex optimis et plurimis libris ita edidit textum. Huic scripturae adversatur Schaeferus: nam *τὸ κοινὸν εἶναι* nullius non arbitri esse dicit, ut subabsurdum videatur hoc diserte indicari. Sed visa est mihi illa optimorum codd. scriptura ita defendi posse, ut affines intelligerentur, quos inprimis arbitros esse electos constat. Apud poetas inprimis *κοινὸς* ita usurpatur, ut cum homines aliis *κοινοὶ* multas ob causas esse possint, tamen qui affinitatis et amoris vinculis iuncti sunt, hac voce saepe notentur. Eodem modo Xenoph. de ven. 13, 9. dicit: *οἱ μὲν γὰρ σοφισταὶ πλουσίους καὶ νέους θηρῶνται, οἱ δὲ φιλόσοφοι πᾶσι κοινοὶ καὶ φίλοι.*

Haec igitur ratio locum defendendi prius placuit mihi, quam locum Demosthenis inveneram simillimum, or. adv. Callicl. §. 35. p. 1281, 25. *ὅτι δ' οὐκ ἀδικοῦμεν οὐδέν, ἕτοιμοι μὲν ἦμεν ἐπιτρέπειν τοῖς εἰδόσιν, ἴσοις καὶ κοινοῖς.* Deinde compara, quod eiusd. or. §. 9. p. 1274, 10. dicitur: *διὸ καὶ τοῖς εἰδόσιν ἐπιτρέπειν ἐβουλόμην ἐγώ, τοῖς ἴσοις.* Iam vides Schaeferum prorsus refutatum esse et novum habemus exemplum, quod interpretes oblitos esse demonstret, totum prius perlegendum scriptorem esse, quam ad eum edendum, explicandum, emendandum te accingas.

Or. contra Leochar. §. 8. p. 1082, 22.

Καὶ ἐὰν μὲν ἐκ τῶν νόμων μὴ ὑπάρχῃ, δίκαια δὲ καὶ φιλάνθρωπα φαίνωνται λέγοντες, καὶ ὅμως συγχωροῦμεν.

Interpretes *ὅμως* ita positum vix ferri posse censuerunt. Wolfius igitur, quod cuivis statim in mentem venit, *καὶ οὕτως* legendum esse coniecit eodemque modo Reiskius locum explicat. Schaeferus, quo odio est in particulam hanc pusillam, *καὶ* delet. Fortasse etiam *καὶ ἡμεῖς* legi possit hoc sensu: „Si ex legibus quidem illam hereditatem sibi se iure vindicare adversarii ostendere non poterunt, aequa autem videbuntur dicere, nos quoque cedamus aequitati.“ Sed nescio an vulgata defendi possit. Vides protasin duplici constare membro: *ἐὰν μὲν ἐκ τῶν νόμων μὴ ὑπάρχῃ, δίκαια δὲ καὶ φιλ. φαίνωνται λέγοντες.* Recte autem orator hoc dicere potuit: *ἐὰν ἐκ τῶν νόμων μὴ ὑπάρχῃ, ὅμως, ἐὰν — φαίνωνται λέγοντες, συγχωροῦμεν.* Dixerat autem in antecedd. haec: *„ἂν δείξωσιν ὑμῖν διδόντας τοὺς νόμους αὐτοῖς ἃ διαμεμαρτυρήκασι ψηφίσασθε αὐτοῖς τὸν κλῆρον,“* ubi cogitando addere possis: *καὶ ἡμεῖς συγχωροῦμεν.* Altera iam conditio, sub qua cedere se dicit actor, proponitur hoc loco, quem explicamus, eiusque clausulam ita describas: *καὶ τότε συγχωροῦμεν.* Iam vero hanc duplicem rationem, qua possent istae enuntiationes constitui, in animo habens utrumque iunxit orator in apodosi illa: *καὶ ὅμως συγχωροῦμεν.*

Vides quantis ambagibus interdum opus sit ad tantillum verbum explicandum. Sed id maxime admiramur in lingua graeca, quod pusilla saepe particula tam exquisitam habet tamque reconditam vim, quam vix alius linguae etiam acutissimum ingenium assequi possit.

Eiusd. or. §. 44. p. 1093, 16.

Πρῶτον μὲν οὖν — ὡς ἐπανῆλθεν εἰς τοὺς Ἐλευσινίους ἐκ τῶν Ὀτρυνέων Λεώστρατος οὑτοσὶ καταλιπὼν υἱὸν τῷ Ἀρχιάδῃ γνήσιον καὶ ὅτι ὁ πατὴρ αὐτοῦ ἔτι πρότερον τὸ αὐτὸ

τοῦτ' ἐπεποιήκει καὶ ὡς ὁ ἐγκαταλειφθεὶς ἄπαις τετελεύτηκε —, τούτων ὑμῖν τὰς τῶν φρατόρων καὶ τὰς τῶν δημοτῶν μαρτυρίας ἀναγνώσεται etc.

Mavult Reiskius pro verbo *καταλιπὼν ἐγκαταλιπὼν*, quoniam sic constanter in hac formula dicatur; sed non posuit illud verbum. Idem parum constanter librorum omnium scripturam *καταλειφθεὶς* in iis, quae statim sequuntur, mutavit in *ἐγκαταλ.*, idque receptum esse a Bekkero miror, cum utroque loco vulgata aut retinenda sit aut mutanda. Eiusd. or. §. 46. et 47. p. 1094, 16. et 18. apud Bekker. tres optimi libri *FΣΦ* et apud Reisk. praeter Aug. I. omnes habent *καταλιπών*. Multi autem sunt in hac oratione loci, ubi plenior forma *ἐγκαταλείπειν* reperitur; in his quatuor autem, quos modo attuli, ab omnium aut optimorum librorum scriptura ego non recedam. Vix enim simplicior forma librariis debetur: in duobus illorum locorum cupiditati tales formulas quantum fieri posset, adaequandi non restiterunt. Utrumque autem et *καταλείπειν* et *ἐγκαταλείπειν* parvo sententiae discrimine dici posse nemo negabit. Eo minus autem illo loco, unde exorsi sumus, *καταλειφθεὶς* mutari debuit, quoniam ad praegressum *καταλιπὼν* refertur.

Sic igitur *καταλείπειν* et *ἐγκ.* usurpavit orator, quanquam alterum in hac re proprium est. Quis porro nesciat et *εἰςποιεῖσθαι* et *ποιεῖσθαι υἱὸν* et *εἰςποίητον* et *ποιητὸν υἱὸν* dici? Sic in eadem orat. §. 51 dicitur *τὴν ποίησιν* et statim *εἰςποιησαμένου* et *εἰςποιοῦντες.* §. 63. fin. *ποιητοὺς υἱεῖς* et *τῷ εἰςποιηθέντι.* Et quo magis diffidas librariis, §. 64, 2. Bekk. in codice r (ut in Aug. I.) *εἰςποιήτῳ* legitur pro vulgata *ποιητῷ.*

Deinde cum §. 1. eiusd. or. p. 1080 s. fin., §. s. p. 1082, 4., §. 51. fin. p. 1095. extr., §. 53. bis. p. 1096, 10. et 17. *διαμαρτυρία* legatur significans eam actionem, cum quis hereditatis petitorem excludit testimonio facto, se, non vero alium, ius habere adeundae hereditatis, tamen p. 1094, 25. §. 48. in tribus illis codd. *FΣΦ* et in Reiskianis Aug. I. excepto omnibus legitur *μαρτυρίαν* idque nescio an tuendum sit. Satis enim qualis esset *μαρτυρία* auditores sciverunt. Accedit, quod per se illa *διαμαρτυρία* sim-

pliciter *μαρτυρία* dici potest. Testatur enim reus eum, de cuius hereditate lis est, habere filios genuinos eosque hereditatem iure adire. (V. §. 48. et 49.)

Porro quae or. contra Euerg. et Mnesib. §. 51. p. 1154, 27. commemoratur *καταδίκη*, eadem §. 63. p. 1158. *δίκη* dicitur. Quare sine iure H. Wolf. ibid. §. 76. p. 1162, 12. pro simplici voce *καταδίκην* poni iubet. Denique quae or. adv. Dionysodor. §. 35. fin. p. 1293, 16 *πρᾶξις* dicitur et ibid. §. 45. p. 1296, 18., plerumque *εἴςπραξις* dicitur.

Eiusd. or. §. 62. p. 1098, 26.

Τούτων δ᾽ οὕτως ἐχόντων ἀξιοῦμεν κληρονομεῖν οὐδεμίαν οὐσίαν Λεωστράτου ἀφελόμενοι (οὗτοι μὲν γὰρ τὰς ἑαυτῶν ἔχουσι) τῆς ὑπ᾽ Ἀρχιάδου δὲ καταλειφθείσης καὶ οὔσης ἐκ τῶν νόμων ἡμετέρας.

Ita rectissime edidit Bekkerus, cum Reisk. post *ἀφελόμενοι* plene interpunxisset et scripsisset: *οὗτοι μὲν — ἔχουσι, τῆς — καταλειφθείσης* [*καὶ*] *οὔσης — ἡμετέρας.* Schaeferus quoque *καὶ* eiecit, sed id non probandum. Hoc enim H. Wolfius quanquam reliqua, quae ad h. l. monet, ut illo tempore, mira sunt, id, inquam, recte vidit genitivos *τῆς ἡμετέρας* pendere a verbo *κληρονομεῖν*, quod cur fieri posse neget Schaeferus, non video. Interrupta est verborum structura illis *οὐδεμίαν — ἀφελόμενοι*, sed mox redit. Sic ut unum tantum afferam exemplum, Aeschyl. Agam. 635. dicit:

πῶς γὰρ λέγεις χειμῶνα ναυτικῷ στρατῷ
ἐλθεῖν τελευτῆσαί τε δαιμόνων κότῳ;

Huius usus ea est causa, quod id, ad quod post interruptam orationem reliqua adnectuntur, tanquam gravius qui dicit, magis in animo habet et ad id deinde revertitur, ea autem, quae interponuntur, fere obiter adduntur.

Or. adv. Stephan. §. 13. p. 1105, 22.

Καὶ δὴ καὶ συνέβαινεν ἐκείνως μὲν ἕνα εἶναι πρὸς ὃν τὰ πράγματα ἐγίγνετό μοι, ὡς δ᾽ οὗτοι μεμαρτυρήκασι, πρὸς πολλούς. Ἔστιν οὖν ὅςτις ὑμῶν ταῦθ᾽ εἵλετο;

Hoc dici apparet: Nemo est vestrum, qui malit contendere cum multis quam cum uno. — Quare Schaeferus ad *εἵλετο* particulam *ἂν* requirit; falso eam requiri statim demonstrabo. Nam si recte dicitur: *Τίς οὕτως ἄφρων ὥςτε ταῦθ᾽ ἑλέσθαι;* recte etiam in oratione directa dicitur: *ἔστιν οὖν ὅςτις — εἵλετο;* Docent scilicet aoristum his in locis significare „solere," quod rectissime exponit Schaeferus ad Olynth. II. p. 20, 27. Sed hoc notissimum est. Apparet autem verba *ἔστιν οὖν ὅςτις — εἵλετο* proprie ad praeteritum tempus referenda esse ita, ut significent: Quis est vestrum, qui, si forte eadem sorte usus est, unquam illud maluit?

Ad eundem usum refert Bremius locum ex or. phil. I. §. 44. pag. 52, 28. *Ποῖ οὖν προςορμούμεθα; ἤρετό τις.* Hic nonnulli *ἔροιτο* maluerunt, Weiskius aliquem aut plures in concione satis alta voce, ut ab oratore exaudiri posset, illud quaesivisse contendit. Bremius nusquam tale quid per hanc formulam illatum inveniri dicit, sed aoristum significare: solent interrogare. Mihi vero simplicissimum et veri quam maxime simile esse videtur, aoristum vere rem praeteritam indicare. Credibile enim est multum hac de re inter Athenienses illo tempore quaesitum esse, quomodo Philippo bellum esset inferendum, ita ut orator illius quaestionis memor hic ad eam responderet. Sed recte eo refertur or. adv. Lept. §. 15. p. 461, 21. *τῇ μὲν γὰρ χρείᾳ τῇ τῶν εὑρισκομένων τὰς δωρεὰς οἱ τύραννοι καὶ οἱ τὰς ὀλιγαρχίας ἔχοντες μάλιστα δύνανται τιμᾶν· πλούσιον γὰρ ὃν ἂν βούλωνται παραχρῆμ᾽ ἐποίησαν.* Hinc mirum non est aoristum in epexegesi poni rei, quae per praesens enuntiatur, ut in or. Timocrat. §. 206. p. 764, 10. *εἰ λογίσαιτο, ὅτι πάντες, ὅταν που καταλύοντες τὸν δῆμον πράγμασιν ἐγχειρῶσι νεωτέροις, τοῦτο ποιοῦσι πρῶτον ἁπάντων, ἔλυσαν τοὺς πρότερον νόμῳ — ταύτην ὑπέχοντας τὴν δίκην.*

Sed consideremus paulo minus usitata. Porro *ἂν* desideratur a Schaefero in or. adv. Steph. I. §. 34. p. 1112, 8. *Τίς γὰρ ἀνθρώπων, ἃ μὲν ἤμελλε τραπεζιτεύων οὗτος ἐργάζεσθαι, ταῦθ᾽ ὅπως ἡμῖν τοῖς αὑτοῦ παισὶν ἀλλὰ μὴ τούτῳ γενήσεται προὐνοήθη καὶ διὰ τοῦτο μὴ ἐξεῖναι τούτῳ τραπεζιτεύειν ἔγραψεν, ἵνα μὴ ἀφίστηται ἀφ᾽ ἡμῶν· ἃ δ᾽ αὐτὸς εἰργασμένος ἔνδον κατέλιπε, ταῦθ᾽ ὅπως οὗτος λήψεται παρεσκεύασεν;*

Admodum probabile videri possit quod Schaeferus scribi vult: *Τίς γὰρ ἂν ἀνθρώπων* etc. Sed oratio ista particula non indiget. Initium huius sententiae ita est conformatum, ac si esset universalis, ad quam aoristi referuntur hac vi: Quis (unquam) curavit —? Iam vero licet observare saepissime Graecos sententias universales ponere ita, ut ad certam rem, de qua quoque loco sermo fit, referantur. Itaque eo loco, quem attulimus, postquam universe Demosthenes dixit: „*Τίς γὰρ ἀνθρώπων*" ad eamque sententiam *προὐνοήθη* etc. retulit, inserit tamen verba de certis hominibus et de certa re „*οὗτος, ἡμῖν* etc." Intellexit hoc Schaeferus ipse ad p. 1112, 17.

Comparo alios locos. Or. adv. Lept. §. 43. p. 470, 2. orator de Epicerde Cyrenaeo admodum de Atheniensibus merito et hanc ob causam *ἀτελείᾳ* donato haec dicit: *Σκέψασθε δὴ πρὸς Διὸς καὶ θεῶν — πῶς ἂν ἄνθρωπος μᾶλλον φανερὸς γένοιτο εὔνους ὢν ὑμῖν ἢ πρῶτον μὲν εἰ παρὼν τῷ τῆς πόλεως ἀτυχήματι μᾶλλον ἕλοιτο τοὺς ἀτυχοῦντας* etc. Initium et tota conformatio sententiae est tanquam universalis et tamen certi hominis certa facta commemorantur, quae ante sexaginta annos perpetravit. Nihilominus Schaefero obsequendum esse scribenti *ἅνθρωπος* prorsus nego. Or. adv. Aristocr. §. 15. p. 625, 7. *Καίτοι πῶς ἂν τεχνικώτερον ἢ κακουργότερον συμπαρεσκεύασαν ἄνθρωποι ὅπως οἱ μὲν ἐκπεσοῦνται τῶν βασιλέων* etc. Hic quoque Schaefer. scribit *ἅνθρωποι*. Sed quanquam haec omnia de iis, contra quos oratio habita est, dicuntur, *ἄνθρωποι* tamen propter causam allatam servandum esse duxi. Denique qui locus forte legenti in manus incidit or. de male gest. leg. §. 165. p. 393, 5.

ubi rursus *ἅνθρωποι* mavult Schaeferus, eodem plane modo explicandus est.

Eiusd. or. §. 27. p. 1109, 19.

Ἦν γὰρ — τοῦτο πρῶτον μὲν ὑπὲρ τοῦ μὴ δοῦναι δίκην ὧν διεφθάρκει ἣν ἐμοὶ οὐ καλὸν λέγειν ὑμεῖς δ᾽ ἴστε κἂν ἐγὼ μὴ λέγω —, πρὸς δὲ τούτοις ὑπὲρ τοῦ καὶ τῶν ἄλλων τῶν ἡμετέρων ἁπάντων κυρίῳ γενέσθαι.

In hoc dativo *κυρίῳ* Lambinus, Reiskius et Schaeferus cum offenderent, *κύριον* corrigi iusserunt. Recte poni dativum docet Schaeferus, si scriptum esset statim ab initio sententiae: *ἦν γὰρ — τοῦτο Φορμίωνι πρῶτον μὲν* etc., ut *κυρίῳ* haberet quo referretur. Sed etiamsi illud *Φορμίωνι* non praecedat, dativum plane ex usu linguae graecae positum esse ego contenderim. De Phormione sermonem esse quivis audit atque cum ad infinitivum *μὴ δοῦναι δίκην* et ad *διεφθάρκει* et *κατασχεῖν* Phormio intelligatur, potuit etiam ille dativus poni per adtractionem quasi subiecto praegresso.

In promptu sunt loci non dissimiles. Or. de Cor. §. 306. p. 327, 17. *Ταῦτα καὶ τοιαῦτα πράττειν Αἰσχίνη τὸν καλὸν κἀγαθὸν πολίτην δεῖ, ὧν κατορθουμένων μὲν — μεγίστοις ἀναμφισβητήτως ὑπῆρχεν εἶναι* sc. *ἡμῖν* s. *πολίταις*, ubi non hoc notandum, quod dativus positus est — nam ex usu *ὑπάρχειν* eum habet — sed quod subiectum ex tota sententia ad illum dativum intelligitur, quod facile potest suppleri, et ad quod deinde dativus refertur. — Or. adv. Leptin. §. 107. p. 489, 21. *ἐκεῖ* (apud Lacedaemonios) *μὲν γάρ ἐστι τῆς ἀρετῆς ἆθλον τῆς πολιτείας κυρίῳ γενέσθαι μετὰ τῶν ὁμοίων* sc. *τῷ πολίτῃ*, quod e verbo *πολιτείας* intelligendum. Ibid. §. 121. p. 494, 1. *μεγάλων μὲν οὖν εὐεργεσιῶν οὔθ᾽ ἡμῖν συμφέρει συμβαίνειν πολλάκις καιρὸν οὔτ᾽ ἴσως ῥᾴδιον αἰτίῳ γενέσθαι.*

Or. adv. Steph. II. §. 11. p. 1132, 12.

Καίτοι τοὺς μὲν τὰ πεπραγμένα μαρτυροῦντας προςήκει οἴκοθεν τὰς μαρτυρίας κατεσκευασμένας μαρτυρεῖν, τοὺς δὲ τὰς προκλήσεις μαρτυροῦντας τοὺς ἀπὸ ταὐτομάτου προστάντας καὶ ἐν μάλθῃ γεγραμμένην τὴν μαρτυρίαν, ἵνα εἴ τι προςγράψαι ἢ ἀπαλεῖψαι βουληθῇ, ῥᾴδιον ᾖν.

Particula *καὶ*, quam Reiskius et Schaeferus deleri volunt, supra ad Olynth. I. §. 28. p. 17, 16. a nobis explicata est. Graviora sunt, quae in fine huius sententiae dicuntur: *ἵνα εἴ τι — βουληθῇ, ῥᾴδιον ᾖν.* Haec aperte sunt corrupta. Schaeferus primum *ἐὰν — βουληθῇ*, deinde *ἵνα — ᾖ* scribi vult. Mihi quod visum est, ita tulit Hermanni assensum, ut sententiam meam libere profiteri coner. Scribendum videtur ita: *ἵνα εἴ τι προςγράψαι ἢ ἀπαλεῖψαι ἐβουλήθη, ῥᾴδιον ᾖν.* Ad ea verba iam non quivis homo, sed ipse Stephanus, qui illud, quod debebat, non fecit, intelligendus est. Aliud enim tum habemus exemplum sententiae universalis ita usurpatae, ut denique notetur res certa.

Eiusd. or. §. 28. p. 1137, 18.

Ἄξιον τοίνυν — καὶ τόδε ἐνθυμηθῆναι ὅτι διαθηκῶν οὐδεὶς πώποτε ἀντίγραφα ἐποιήσατο ἀλλὰ συγγραφῶν μὲν, ἵνα εἰδῶσι καὶ μὴ παραβαίνωσι, διαθηκῶν δὲ οὔ. Τούτου γὰρ ἕνεκα καταλείπουσιν οἱ διατιθέμενοι, ἵνα μηδεὶς εἰδῇ ἃ διατίθενται.

Hanc extremam sententiam interpretes plane non intellexerunt. Vide enim quid sint moliti. Reiskius post *ἕνεκα* inserendum censet *κατασεσημασμένας* sc. *τὰς διαθήκας*. Seagerus (v. Diar. Classic. LX. p. 269.) haec dicit: Imo non ut n e s c i a n t alii, sed ut s c i a n t, quid fieri post mortem velimus, testamenta relinquimus, sed ne ante mortem sciant, clausa tenemus. Corrigendum igitur: *Τούτου γὰρ ἕνεκα κατακλείουσιν —*. Quod verbum *κατακλείειν*, quanquam Schaeferus sic usurpatum legere

non meminisse se dicit, bene eo sensu adhiberi posse videtur. Schaeferus denique coniecit legendum esse: *Τούτου γὰρ ἕνεκ' οὐ καταλείπουσιν* sc. *διαθηκῶν ἀντίγραφα.*

Sed, nisi egregie fallor, omnibus supersedere possumus coniecturis. Interpretes non adtenderunt ad vim verbi *καταλείπειν*, quae utique urgenda est. Dicitur hoc: R e l i n q u u n t enim testamenta, nolunt ante ea legi, quam ipsi mortui fuerint. Nos: „Sie h i n t e r l a s s e n deswegen die Testamente.“ Ita igitur eadem quam Seagerus requisivit, exsistit sententia, singulari cum vi illo verbo pronuntiato. Iusta vero etiam est ratiocinatio: Si testamentorum conditores ea relinquunt ipsisque mortuis ea legi volunt, quomodo credibile est testamenti exempla plura describi eos concedere, qua re quid in testamentis iusserint, fiat notum?

Or. contra Steph. §. 20. p. 1253. init.

Παρ' οἷς τοίνυν εἰργάσατο πώποτε, ὡς τοὺς μισθοὺς Ἀρεθούσιος ἐκομίζετο ὑπὲρ αὐτοῦ καὶ δίκας ἐλάμβανε καὶ ἐδίδου, ὁπότε κακόν τι ἐργάσαιτο, ὡς δεσπότης ὤν, τούτων ὑμῖν τοὺς εἰδότας μάρτυρας παρέξομαι.

Sermo est de servo, quem Arethusii esse demonstrat orator. Apparet autem verba *ὁπότε — ἐργάσαιτο* (sc. servus iste) referri tantum posse ad praegressa *δίκας ἐδίδου*, ad reliqua autem *δίκας ἐλάμβανε* intelligi: *ἢ ὁπότε πάθοι τι.* Hac de causa Schaeferus cod. Σ scripturam *ἐργάσαιντο* praefert, ut intelligantur et mancipium et qui eius opera utebantur. Sed nescio an hanc scripturam debeamus grammatico, quem passim illum codicem tentasse animadverti. Paullo obscurior etiam est ea scriptura neque statim patet, quinam sint illi *οἱ ἐργασάμενοι κακόν τι.* Quare retinebo vulgatam, quae usui linguae graecae plane est accommodata. Ne enim desideres (quod suadere videntur verba *δίκας ἐλάμβανε*) tale quid: „*ἢ ὁπότε πάθοι τι*“ facile propter praegressa *ὑπὲρ αὐτοῦ* haec omitti posse censeo.

Sed alia etiam exstat causa, ob quam vulgatam tuearis. Confer orat. adv. Timoth. §. 52. p. 1199, 26. *οὐ γὰρ δήπου ἄνευ γε σταθμοῦ ἤμελλον οὔθ' ὁ ὑποτιθέμενος οὔθ' ὁ ὑποτιθεὶς τὸν χαλκὸν παραδώσειν.* Addidit Reiskius post *ὁ ὑποτιθέμενος* verbum *παραλήψεσθαι.* Omnes interpretes tale quid desiderant. Plane sic Thucyd. VI, 93. *ὅταν ὑπ' ἄλλων καὶ μὴ αὐτοὶ ἀδικῶσιν.* Cf. Emperii obss. in Dion. Chrys. p. 67. Est haec breviloquentia quaedam, ut saepe ad alteram orationis partem quae opposita sint praegressis, suppleantur opus sit.

Denique affero locum, qui illis comparari posse videatur, or. adv. Dionysodor. §. 26. p. 1291, init. *Εἰ γάρ τις ὑμῖν ἀφῆκέ τι τῶν αὑτοῦ, οὐδὲν ἀδικεῖται ὁ πεισθεὶς [ἢ ὁ πείσας].* Ita Bekkerus scribendum curavit textum. Reiskius ita de suo locum mutaverat: *οὔθ' ὁ δοὺς οὔθ' ὁ πεισθείς.* Vulgata haec est: „*ὁ πεισθεὶς ἢ ὁ πείσας,*" sed Bavar. in *γρ.* et libri *FΦ* habent „*οὔθ' ὁ δοὺς οὔθ' ὁ πείσας.*" Quam scripturam probat Schaeferus explicans: Neuter iniuriam patitur. Sic enim significari dicit, ne umbram quidem iniustitiae posse oriri. Laudat eam in rem Lobeck. ad Phryn. p. 754. ubi de formulis „*εἴτε παρὼν εἴτε ἀπών, ζῶν καὶ θανών, ζῶντες καὶ νεκροί*" explicatur. At hanc interpretationem hoc loco ut probandam censeam minime mihi possum persuadere. Illae quas Lobeckius affert, formulae ita demum hanc vim acceperunt, postquam usu creberrimo propriam amiserant. Sed quis, quaeso, putaverit unquam, eum, qui aliquid dono acceperit, violari?

Videri possit scribendum esse: *οὐδὲν ἀδικεῖται οὔθ' ὁ δοὺς οὔθ' ὁ πείσας* i. e. neque is, qui dat, iniuriam patitur, neque is, qui persuasit ei, ut daret, iniuriam infert. Tum locus plane eodem modo explicandus esset, quo illos priores vidimus explicandos esse. Sed plerique libri habent: *οὐδὲν ἀδικεῖται ὁ δοὺς ἢ ὁ πείσας.* Quare non improbabilis videtur coniectura excidisse *μᾶλλον*, ut sit sententia haec: Non magis laeditur is, qui dederit, quam qui persuasit ei, ut daret. Iam vides id tum dici, quod Schaeferus exprimit ita: Ne umbram quidem iniustitiae posse oriri.

Orat. contra Dionysod. §. 10. p. 1285, 27.

Πέρας δ' οὖν, λαβὼν γὰρ ὁ Παρμενίσκος ὁ τουτουῒ κοινωνὸς τὰ γράμματα τὰ παρὰ τούτου ἀποσταλέντα καὶ πυθόμενος τὰς τιμὰς τὰς ἐνθάδε τοῦ σίτου καθεστηκυίας, ἐξαιρεῖται τὸν σῖτον ἐν τῇ Ῥόδῳ κἀκεῖ ἀποδίδοται, καταφρονήσαντες μὲν etc.

Quod ad initium huius loci adtinet, vulgo scriptum est: *Πέρας οὖν λαβὼν ὁ Παρμ.* etc. Particulas *δὲ* et *γὰρ* recepit ex Bavarico Reiskius et ex omnibus suis praeter cod. *r* Bekker. Sed Dindorf. vulgatam restituit, quod Schaeferus probat. *Πέρας δὲ· λαβὼν γὰρ* — ferri posse dicit omisso *οὖν*, sed non meminisse se legere *πέρας δὲ* sic usurpatum, ut *σημεῖον, τεκμήριον δέ.* Mihi optimi libri sequendi videntur sic ut scribatur: *Πέρας δ' οὖν· λαβὼν γὰρ* —. Compara et ea, quae Schaeferus adtulit, et formulas *καί τοι καὶ τοῦτο, ἀλλ' ἐκεῖνο, τοῦτ' ἐκεῖνο, ἐπεὶ κἀκεῖνο,* (v. Dem. adv. Leochar. §. 55. p. 1097, 5.), quae sic absolute ponuntur. Et mirum est propter istud *οὖν*, quod utique necessarium est ob antecedd., illam scripturam damnari.

Sequuntur haec: — *ἐξαιρεῖται — ἀποδίδοται καταφρονήσαντες.* Hoc ita male habuit Schaeferum, ut cum August. I. et cod. *r* *καταφρονήσας* praebeant, hoc recipi iubeat. Mihi non persuasit. Considera totum hunc locum. Praecedunt haec: — *εὐθέως οὗτος* (Dionysodorus, socius Parmenisci) *ἀποστέλλει τινὰ εἰς τὴν Ῥόδον ἀπαγγελοῦντα τῷ Παρμενίσκῳ τῷ κοινωνῷ τἀνθένδε* *) *καθεστηκότα, ἀκριβῶς εἰδὼς* —. Deinde sequuntur haec: *λαβὼν — ὁ Παρμενίσκος — τὰ γράμματα — ἐξαιρεῖται τὸν σῖτον — κἀκεῖ ἀποδίδοται.* Utriusque igitur et Dionysodori et Parmenisci iniuria notatur, illius, quod suasit, ut frumentum in insula Rhodo venderetur, alterius, quod obedivit. Iam vero orator optimo iure de utroque dicens addit *καταφρονήσαντες* —.

*) Sic pro vulgata *τἀνθάδε* ex tribus codd. optimis Bekkeri, quem mireris id non vidisse, et Bavarico scribendum esse monuit Schaeferus. Ita iam vulgo ante Reiskium scriptum et editum erat.

Nostra quidem lingua hac licentia caret; graeca utitur ea interdum liberrime.

Insigne eius usus exemplum videmus in or. adv. Aristocrat. §. 125. p. 661, 27.

Τῶν ἵνα μήτι πάθῃ ταῦτα εὑρισκομένων —.

Omnes editores, Reiskius, Schaeferus atque adeo Bekkerus hanc omnium librorum scripturam mutaverunt in *πάθωσι*. Meum hoc tantum est, ut restituam priorem; explicuit hunc usum Herm. ad Vig. p. 739, not. 138. b. et ad Arist. Nub. 975. 989. Deinde eiusd. orat. §. 143. p. 667, 9. commemorantur Thersagoras et Execestus, Lampsaceni, interfectores Philippi, qui eorum patriam oppresserat. De his orator haec narrat: *Ἧκε μὲν γὰρ ὁ Θερσαγόρας καὶ ὁ Ἐξήκεστος εἰς Λέσβον καὶ ᾤκουν ἐκεῖ· εἰ δ' ἐφήπτετό τις τῶν Φιλίσκου φίλων ἢ παίδων, ἐξεδίδοτ' ἂν* i. e. si quis Philisci amicorum aut filiorum eos, Thersagoram et Execestum, arripuisset, *ἐξεδίδοτ' ἂν* sc. *θάτερος αὐτῶν*. Hoc tam apertum est, ut Seagerum *ἐξεδίδοντ' ἂν* coniecisse indigneris. Confer Homer. Od. IV, 691.

ἥτ' ἐστὶ δίκη θείων βασιλήων,
ἄλλον κ' ἐχθαίρῃσι βροτῶν, ἄλλον κε φιλοίη.

Neque dissimile est quod apud Cic. Nat. Deor. I. §. 50. legimus: *Et quaerere a nobis soletis, quae vita deorum sit, quaeque ab iis degatur aetas. Ea videlicet, qua nihil beatius, nihil omnibus bonis affluentius cogitari possit. Nihil enim agit, nullis occupationibus est implicatus etc.* sc. talis, quem Epicurus fingit, deus. V. eiusd. libri §. 102.

Aliud exemplum pluralis et singularis coniunctionis in or. contra Aristocrat. p. 650, 13. §. 89. Bekk. a Schaefero defensum et explicatum est. — Deinde cum rectissime constet dici in orat. contra Macart. §. 58. p. 1069, 21. *ὁ μὲν δήμαρχος ἀπομισθωσάτω ἀνελεῖν καὶ καταθάψαι καὶ καθᾶραι τὸν δῆμον αὐθημερόν, ὅπως ἂν δύνωνται ὀλιγίστου*, quod tot exemplis firmatum est, ut mireris Reiskium qui oratores omnes perlegisset offendisse, recte etiam in or. contra Euerg. et Mnesibul. §. 2. p. 1139, 16. e cod. Σ et γρ. Φ. recipiendum hoc est: *τῷ δὲ φεύγοντι μεγάλας (οἱ νόμοι) ἐπέθηκαν τιμωρίας, ἐὰν ἁλῶσι καὶ δόξωσιν ὑμῖν τὰ ψευδῆ μεμαρτυρηκέναι.*

Orat. adv. Eubulid. §. 9. p. 1301, 22.

Πρῶτον μέν, ἐπειδὴ συνελέγησαν οἱ δημόται, κατέτριψε τὴν ἡμέραν δημηγορῶν καὶ ψηφίσματα γράφων. τοῦτο δ' ἦν οὐκ ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου, ἀλλ' ἐπιβουλεύων ἐμοί, ὅπως ὡς ὀψιαίτατα ἡ διαψήφισις ἡ περὶ ἐμοῦ γένοιτο· καὶ διεπράξατο τοῦτο.

Anacoluthon non tolerandum esse dicit Schaeferus hoc: *τοῦτο δ' ἦν οὐκ ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου, ἀλλ' ἐπιβουλεύων*. In margine Parisinae omisso *καὶ* scriptum est ita: *ἀλλ' ἐπιβουλεύων ἐμοί, ὅπως — γένοιτο, διεπράξατο τοῦτο.* Hoc recipiendum censet Schaeferus; nam anacoluthi causam satis probabilem reddi non posse. — Mihi ita locus defendi posse primo adspectu visus est, ut *κατὰ τὸ νοούμενον* oratorem illa verba *ἀλλ' ἐπιβουλεύων* adiecisse statuerem, ac si dicere exorsus esset ita: *τοῦτο δ' ἐποίησεν οὐκ ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου*. Nunc nescio an simplicior sit alia ratio. Nam *ἦν* ad Eubuliden puto referendum esse ita: *ἦν δ' Εὐβουλίδης τοῦτο* (sc. *κατατρίβων τὴν ἡμέραν δημηγορῶν καὶ ψηφίσματα γράφων*) *οὐκ ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου, ἀλλ' ἐπιβουλεύων.* V. Olynth. III. §. 34. — *ἵνα τῶν κοινῶν ἕκαστος τὸ μέρος λαμβάνων, ὅτου δέοιτο ἡ πόλις, τοῦθ' ὑπάρχοι* etc. Or. adv. Aristogit. §. 6. pag. 771, 20. *δόξετε τοῦθ' ὅπερ ἐστέ, δικασταὶ καὶ φύλακες τῶν νόμων εἰςεληλυθέναι.*

Eiusd. or. §. 26. p. 1306, 16.

Οἴεταί τις οὖν ὑμῶν ἐᾶσαί ποτ' ἂν τοὺς δημότας ἐκεῖνον τὸν ξένον καὶ μὴ πολίτην ἄρχειν παρ' αὐτοῖς, ἀλλ' οὐκ ἂν κατηγορεῖν;

Articulum *τὸν* ex August. I. addidit Reiskius servavitque Bekker., quanquam in tribus optimis libris omissum, quorum auctori-

tate ductus Dindorf. rursus *τὸν* eiecit. Recte hoc factum esse monet Schaeferus. „Nam *τὸν ξένον* dictum foret ex Eubulidae persona adeoque ironice. Ita vero sequi debebat *καὶ οὐ πολίτην*.“ At, nisi fallor, plane contrarium statui debet. *Τὸν ξένον καὶ οὐ πολίτην* esset: „eum qui peregrinus non civis fuit.“ Sed cum rectissime *μὴ* positum sit, hoc dicitur: „eum, qui peregrinus, non civis esset, quem tribules non civem, sed peregrinum putarent.“ Itaque tantum abest, ut *τὸν ξένον καὶ οὐ πολίτην* ex Eubulidae persona dictum esset, ut rectissime tum *μὴ* locum teneat. Articulum autem ita exquisite positum esse existimo, ut vix librariis tribuendus sit.

Eiusd. or. §. 34. sub fin. p. 1309, 10.

Νῦν δὲ τούτων μὲν ἀπέδειξεν οὐδὲν, λελοιδόρηκε δ' ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, οὐδὲν ὅ τι ὄν. Τοῦτο γάρ ἐστιν ὁ συκοφάντης αἰτιάσασθαι μὲν πάντα, ἐξελέγξαι δὲ μηδέν.

Ita primus Reiskius ex Aug. I. scripsit: vulgo legebatur *οὐδέν τι* idque tuentur tres optimi Bekkeri illi, quos saepe nominavimus, codices *FΣΦ*. Unice verum hoc esse censeo. Eubulides matrem accusatoris in foro taenias vendentem sedere dixerat. Hoc minime turpe esse contendit actor, imo vetitum esse lege Solonis (vide Boeckh. Oecon. polit. Athen. I. p. 48. sequ.), ne cui talis vitae quaestus crimini detur; (Conf. §. 30 — 32. p. 1308. init. et seqq.) hoc potius reum quaerere debuisse dicit, num aut hospes aut serva aut liberta mater esset: sed nihil horum eum fecisse. — Postquam igitur haec exposuit, uti mos est, in fine omnia, priusquam ad aliud procedat, repetit his verbis: *Τούτων μὲν ἀπέδειξεν οὐδὲν, λελοιδόρηκε δ' ὡς ἐμοὶ δοκεῖ οὐδέν τι*, i. e. quod nobis opprobrio vertit, nihil est, nullius momenti neque verum opprobrium. — Ita demum verba *ὡς ἐμοὶ δοκεῖ* aptam sententiam efficiunt.

Iam si quaeris, unde illud *οὐδὲν ὅ τι οὖ* ortum sit, facilis est responsio. Aut quia usitatissimum est hoc, alterum autem

οὐδέν τι minus aptum visum, posuerunt librarii illud, aut quod probabilius, propter sequentia ita scripserunt. Quae sequuntur enim: „*Τοῦτο γάρ ἐστιν ὁ συκοφάντης αἰτιάσασθαι μὲν πάντα* etc., requirere visa sunt librariis hoc *οὐδὲν ὅ τι οὖ*. Sed nihilominus *οὐδέν τι* tuendum. Nam sequentia aut explicanda sunt ita: „sycophantae multa criminantur, sed demonstrare nequeunt vera esse, quae obiiciunt, crimina.“ aut ideo posita existimes, ut una tantum antecedentis sententiae pars illustretur haec: *τούτων μὲν ἀπέδειξεν οὐδέν*.

Eiusdem orat. §. 50. p. 1314, 16.

Ἐγὼ δ' ὦ ἄνδρες δικασταί, καί μοι πρὸς Διὸς καὶ θεῶν μηδεὶς θορυβήσῃ μηδ' ἐφ' ᾧ μέλλω λέγειν ἀχθεσθῇ, εἰ ἐμαυτὸν Ἀθηναῖον ὑπείληφα ὥςπερ ὑμῶν ἕκαστος ἑαυτόν etc.

Haec est scriptura omnium editionum et membranarum, quas Taylorus contulit, Reiskianorum praeter August. I. codicum omnium et apud Bekkerum codd. *FΣΦ*. Sed Wolfius, Reiskius et Bekkerus particulam *εἰ* omiserunt. At tam exquisite tamque insolenter hoc *εἰ* positum est, ut mihi dulcissime arrideat. „At, inquies, quomodo particulam servabis?“ Audi. Puto enim hunc locum referendum ad eos esse, in quibus oratio, quae per se et absolute poni debebat, a verbis interpositis pendet. Largam exemplorum copiam undique apud interpretes videmus collectam. Sed vide inprimis Herm. ad Vig. p. 745. Notissimum est illud „*ὃ δὲ δεινότατον, εἰ* —. Sic igitur sententiam per se debebant constituere verba: „*ἐμαυτὸν Ἀθηναῖον ὑπείληφα*,“ sed nunc per particulam *εἰ* interpositis his: „*καί μοι — ἀχθεσθῇ*“ annexa sunt.

Ex analogia hoc recte fieri posse quis neget? Exempla mihi non sunt in promptu.

Neglectum hoc adtractionis genus est a Schaefero, cum in Dem. orat. contra Lacrit. §. 54. p. 942, 10., quod rectissime scripserat Bekkerus ita: *Ὅπερ οὖν ἐν ἀρχῇ ὑπεθέμην τοῦ λόγου, ὅτι καὶ ὑμεῖς ἀδικεῖσθε οὐδὲν ἧττον τῶν δόντων ἡμῖν τὰ χρήματα. Σκοπεῖτε δὲ* etc.“ scribi vellet: — *χρήματα, σκοπεῖτε* etc.“ omisso *δὲ* et interpunctione post *χρήματα* deleta.